# FRIDERICI GODOHOLDI SCHOENII

DE

# PERSONARUM

IN

# EURIPIDIS BACCHABUS

HABITU SCENICO

COMMENTATIO.

---

LIPSIAE

IN LIBRARIA A. LEHNHOLDI

MDCCCXXXI.

## Caput I.

### *Praefatio.*

Cum Halis Saxonum sapientissima disciplina ad omne genus doctrinae philologicae percipiendum instituerer, diligentemque maxime in scriptis tragicorum graecorum cognoscendis collocarem operam, animum inprimis Euripidis Bacchae capiebant, diutiusque et acrius in hoc studium incumbebam, ipsa fabulae praestantia invitatus. Sunt enim eius, etsi ab Sophoclis et ab Aeschyli arte modica Euripidii stili vitia non licet diffiteri, tamen caeteroquin tam admirabiles virtutes, tam egregia argumenti tractatio, postremo tam eximius in omni genere splendor, ut quae est in metricis rationibus nimia paene negligentia, elegantissima totius tragoediae quasi structura compensetur cumulatissime. Quare minime est mirandum, quod ex omnibus Euripideis maximam hoc drama antiquitus iam consecutum sit famam, tantamque laudum celebritatem, ut Lucianus quidem βιβλίον κάλλιστον appellare dignatus sit, teste Valckenario in Diatr. p. 95., alii autem summam hinc depromserint copiam dictorum gravissimorum ad suam orationem quasi luminibus distinguendam. Sed praecipua carminis commendatio consistit in eo, quod cum idem argumentum multifariam ab tragicis esset exornatum, Euripidem tamen potissimum diligenti imitatione exprimendum sumpserint, qui in eadem re versati sunt inferiores scriptores. Nam quae de Aeschylei Penthei et huius fabulae similitudine narrat Welckerus de Aesch. Tril. p. 327. sqq., vanissima cuncta sunt, indignarique propemodum oportet, quod adeo imponere sibi Barnesium passus est vir doctis-

simus, ut quod interpolando ille foedissime vitiarat, spurcum Euripidiarum Baccharum argumentum pro vero Aristophanis grammatici acciperet. Quamquam idem Boeckhio accidit de Trag. Gr. Princip. p. 300. Fraudem primus indagavit Elmsleius Bacch. p. 4. exemplaris Lips. Verum ex eo, quod Euripidem potissimum secuti sunt alii, fere suspicere, neminem omnium tot ac tanta, quanta essent in illo, habuisse artis ornamenta. Nam quae apud Philostratum l. I. c. 18. est imago rerum Penthei et Baccharum, sive vera illa est sive ficta, tota est de Euripidia scena petita. Quapropter laudandum potius quam vituperandum, quod in descriptione is auctor ad ipsam poëtae dictionem plurimum se accommodavit. Tum item Nonnus in enarrando Penthei fato, Dionysiac. l. XLIV—XLVI., ad exemplum illud studiose se composuit, futilissimumque est Moseri iudicium ad Nonn. l. IX. v. 77., quamquam hoc Dionysiacorum enarratore non indignum. Nec denique deflexit Ovidius in Metam. l. III. v. 510. sqq. Relicuos licet praeterire, scriptores inficetos et invenustos. Verum hoc perscriptu est dignum, quod ipsa Euripidis fabula saltando est expressa ab Xenophonte Smyrnaeo. Cuius rei documento est incerti auctoris epigramma factum in mimi illius laudationem in Anal. Brunck. III. p. 225. n. CCCLIII.

Talis igitur excellentiae contemplatio cum primum mentem allexisset, tum aegerrime videbatur esse ferendum, quod hunc fabulae nitorem multis mendis commacularit partim temporis tam infiniti decursus, partim hominum imprudentium temeritas. Nam praeterquam quod magnis lacunis illa est turpissime mutilata, relicua etiam tam sunt depravata, ut multorum opera hominum doctissimorum non tantum profecerit, ut pristina integritas maiore ex parte reconcinnata putanda sit. Nec enim libris manuscriptis multum sustentatur diligentia eius, quisquis ad fabulae emendationem animum advertit. Quibus consideratis rebus studia virorum quamvis ita eruditorum, ut ab talis doctrinae laude ingeniique praestantia mediocritatem meam longissime

abesse probe sentiam, non me deterruerunt, quin ad emendandum et explanandum carmen pulcherrimum, quantum in me positum esset, conferrem deque nova editione meditari conarer. Et profecto etiam post illos erat operae pretium manum adhibuisse. Nam accedebant alia, quae incitarent. Etenim cum hodie gravissimum pondus niti in eo merito iudicetur, ut in scriptoribus luculentissimis, quorum monumenta altiorem locum obtinent, cum verborum doctrina criticisque rationibus simul illustretur rerum copia et ubertas quam fieri potest amplissime, vulgo tamen solet usuvenire, ut nonnisi ad verborum sententiarumque vel emendationem vel explanationem sylva quaedam comparetur annotationum, ipsa operis alicuius quasi universitas propter singulas partes plane negligatur. Atque in tragicorum fabulis iuxta aestimandae omnium minime sunt quaestiones de argumenti rationibus tum historicis tum mythologicis, de scena scenicoque apparatu, de temporibus, de auctoris arte in rebus fingendis et adumbrandis, postremo de comparatione aliorum poëtarum in eadem materia versatorum. Neque plane iuxta aestimatas esse scio. Nonnulla enim horum capita aut peculiaribus commentationibus sunt tractata, aut summatim in libris exposita, in quibus tum de litterarum graecarum historia generaliter, tum de tragica poësi singulatim disputatur. Ac commemoranda hic inprimis est Fr. Welckeri opera, quam in Aeschylo illustrando collocavit, si minus ita ut omni ex parte possit probari, at ingeniose tamen et erudite. Utilissimum autem exemplum in Oedipo Coloneo proposuit vir immortalis, Carolus Reisigius; quo vestigio recentissimum Antigonae Sophocleae editorem, Carolum Wexium, laudabili diligentia institisse mirifice gaudemus. Verum sunt ea quidem rara ac singularia exempla, et quae sparsim exstant huius generis disputationes, ad multiplicem rerum maximarum varietatem parum satisfaciunt. A Bacchis vero prorsus aliena fuit haec industria, etiamsi ad explicandum fabula sit uberrima. Quapropter ad hanc talem adhibiturus curam dili-

genter circumspexi collectanea ad bipartita commentandi genera, altera quae illam complecterentur rerum copiam et gravitatem, altera quae in verborum interpretatione et grammatica et critica versarentur.

Sed quoniam est paene infinita vis et materies his argumentis subiecta, ad tantum propositum plene et constanter perducendum mox sensi non sufficere honestum illud otium, quod tum remoto a publicis negotiis hominumque turba felicissime contigit in studiis consumere. Cum autem in suscepta sententia nullo nos impedimento coërceri posse putassemus, ipsa tamen necessitate mora interposita est. Postea enim quam relicta illa litterarum sede alio concedere iussi sumus, acerba sane recordatio nunquam desinit renovare veteris studiorum opportunitatis ingens desiderium, praesentem tot ac tantorum commodorum diminutionem deplorare. Destituti igitur omnibus maiorum ac rariorum librorum adiumentis, quoniam tam aspere interrupta contexere nunc non licet instituta, in meliora tempora transtulimus, absoluturi cum inciderit tandem, ut id apte fieri possit. Sed ne plane negligerentur, quae in adversariis seposita essent ex parte iam rite et ordine elaborata, hanc certe de personarum habitu scenico commentationem divulgare constituimus, tum quo esset specimen ac documentum studiorum illorum, tum quoniam, licet haec sint ad residuam copiam admodum exigua, pro se tamen non ab omni utilitatis fructu putabamus esse seiuncta. Nam cum ad poëtae dramatici artificium in fabula componenda recte et gnaviter perspiciendum cognosse inprimis conducat, quomodo quamque personam ad fabulae vel universum consilium vel singulas partes accommodarit, tum cum hac intelligentia coniunctum esse arbitror, ut quo easdem in scenam produxerit cultu et ornatu patefiat. Atque in Bacchis praesertim idoneum iudicamus de his ipsis rebus exponere, quoniam ad huius fabulae scenam magnificus quidam et splendidus apparatus cummaxime est adhibitus. Ad universam autem

rem scenicam quantum haec conferant, manifestum unicuique est.

Verum est hoc commentandi genus parum hucusque tractatum atque excultum, ut verendum sit, ne hic noster labor in varias reprehensiones incurrat. Etenim postquam ex ipsis veteribus *Julius Pollux* de his et similibus scenae rationibus ieiune et exiliter more suo perscripsit, in recentioribus quidem secutus *J. C. Scaliger* est de Arte Poët. p. 100., nec tamen latina sua disputatione plus suscepit, quam in graeca Pollucis repertum esset. Sed nuper de tragicarum personarum habitu egit *Joann. Christ. Genellus* in libro quem conscripsit *de Theatro Atheniensium*, p. 81. sqq. Qui liber licet cetera sit utilissimus, tamen quae de vestitu exposita sunt, ea nobis visa sunt fere disputata esse in hominum potius usum, qui litterarum antiquarum artiumque bonarum quandam affectarent elegantiam, quam qui haurire vellent rectam ac genuinam harum rerum scientiam. Hinc enim factum existimo, ut supervacaneum duxerit auctor adiicere testimonia veterum scriptorum, quibus nitatur sua argumentatio. Et videntur pleraque ex ratiocinandi potius quadam libidine coniecturaeque temeritate petita esse, quam argumentis stabilita certis et antiquitatis auctoritate confirmatis. Certe ego cum diligentius inquirerem in ea, quae illic inveni exprompta, multis quidem unde accederet fides investigare non potui, plurima autem intellexi arbitratu auctoris posita, nonnulla etiam manifesto falsa deprehendi: cuius iudicii documenta quaedam infra sunt subiuncta. Deinde qui in singulis apparatus partibus versari videantur libri quidam, etsi nomine hanc speciem habent, re tamen alieni sunt; velut Italorum scripta, *Ficoroni* vel potius, Winckelmanno teste in Mon. Ined. p. 59. Brunn., *Petri Contucci de larvis scenicis et figuris comicis* (edit. Rom. 1754. 4.), et *Pacichelli Neapolitani schediasma tripartitum de mascheris, capillamentis et chirothecis* (Neap. 1693.), denique nostratis *Chr. H. Bergeri commentatio de personis, vulgo larvis seu ma-*

*scheris* (Francof. 1723.). Merita vero laude non privandus est, quem nunc nomino, vir studio doctrinaeque elegantia praestantissimus, *Aug. Boettigerus.* Qui et alia rerum scenicarum capita tractavit, et hoc genus eruditione non vulgari exornare peculiaribus in scriptionibus instituit. Nam de *personarum* quidem *usu et historia* universe commentatus pridem est in Nov. Mercur. Teuton. 1795. Mart. m., eiusdem exstat *de personis scenicis prolusio.* Sed hoc loco plus attinet commemorari maioremque vim ad id, de quo dicimus, habent *de Medea Euripidea cum priscis artis operibus comparata prolusiones duae*, et *de Furiarum persona* libellus. Verum haec diligentia singularis et ad duo tantum tragicarum personarum exempla adhibita etiamsi per se sit utilissima, tamen cum ad omnem varietatem admodum exiguum habeat pondus, ego quoniam hanc commentandi similitudinem secutus sum, maximopere vereor ne disserendi genus assumpsisse videar minime par materiae subiectae, neve voluntate longe inferius iudicetur ingenium esse. Neque ego, qui nondum eam nec aetatis gravitatem nec doctrinae usum nactus sum, ut a me quicquam egregium exspectari debeat, tantae rei facultatem consecutum me profiteor, at secutum prae me fero. Atque hac potissimum ex parte velim spectetur haec opella, existimeturque sic de ea, ut si minus alia caussa se tueatur, studii tamen atque industriae excusatio ne reiiciatur. Quamquam confiteri id ingenue non verecundor, me fore sperasse, ut scriptum meum, quamvis sit pretio non permagno, utilitate tamen quadam commendetur et hoc certe nomine ab doctis hominibus non negligatur. Nam illud quidem omni ope conabar efficere, ut quae huc pertinerent diligenter omnia et considerate persequerer. Itaque quae in fabula ipsa continerentur momenta usquequaque ponderavi studiose, quo scenicam speciem et similitudinem cum adumbrata cuiusque personae indole conferrem. Haec enim inter se apta esse collationemque habere maximam consentaneum est. Deinde id quod non minorem habebat gravi-

tatem, comparationem feci accuratam scriptorum, qui ad Euripidiae scenae imitationem se applicuerunt, Nonni maxime et Philostrati. Ac Philostrati in simulacris ad huiusmodi de tragoedia quaestiones non mediocris posita est comparandi et utilitas et necessitas, siquidem ad res in scena antiqua effictas quaedam referuntur aperte, aliorum ne incognita lateat contentio propter fabularum iacturam videndum est. Nam de Euripide quidem memini picturae, quae est apud Philostratum de Menoeceo libro primo sexta, facultatem suppeditasse Phoenissas. Item Hippolyti imago l. II, 4. sequitur Euripidis cognominem fabulam. Nec non Hercules furens l. II, 23. expressus est ad eiusdem poëtae exemplum. Sed quod de Philostrati simulacris valet, longe etiam gravius est maximisque ponderibus aestimandum in veterum artificum typis et monumentis. Quorum quanta sit potestas et vis ad explicanda ea, quae fingendo poëtae vel invenerunt vel ornaverunt, et vicissim quanta in poëtis cernatur ad cognoscenda illa, perspectum diu et iudicatum est a peritissimis quibusque. Atque ad haec Euripidea vel plurimum intererat perscrutari quae suppeterent illinc, quoniam omnis in religione bacchica versatur fabula, neque ullum frequentius obiicitur monumentorúm genus, quam quo eiusdem religionis varietas proponitur et illustratur, testibus intelligentissimis Zoëga de Ant. Marm. Rom. p. 46. exempl. teuton. Welck., et Viscontio Mus. Pioclement. Tom. IV. p. 175. tab. 20. exempl. francogall. Mediolan. Habebat autem harum rerum cognitio non minus difficultatis quam iucunditatis, ut fere sollicitus sim, tum ne conferendis artificum operibus plus tribuerem nonnunquam, quam aequum sit, tum ne quicquid peccatum sit, id hoc maxime nomine peccatum videatur. Postremo quod vertitur in scriptorum auctoritate usurpatorum, quorum quidem multiplex et dignitate aevoque diversissimum genus erat volutandum, docebit ipsa disputatio, quomodo materia, quam inde nactus sum satis interdum dispersam ac raram, usus sim. Consectatus autem eam commentandi rationem

diligenter sum, ut nihil traderem, nisi quod aut perspicuis veterum testimoniis esset exploratum aut ratiocinationis et coniecturae via probabiliter inventum. Tum id maxime prospexi, ut ne quid ab argumentationis integritate desideraretur. Quocirca si quis ita fortasse de his statuet, petiise me interdum ultra quam satis, et repetiisse longius quam necesse sit, eum volo hoc admonitum, maluisse me sequi studium omnia usquequaque curiosius expendendi momenta, etiam minutiora, quam propter mancum disserendi genus et imperfectum reprehendi. Praeterea recordandum est, *quam molesti sint scriptores, qui in demonstrando ea ratione utuntur, quae lectores aut temere credere aut omnia iterum pervestigare cogit:* quae sunt Hermanni verba in praefatione ad Euripidis Alcestin.

Unum restat ad praecavendum necessarium, ne quem forte subeat nos culpae insimulare falsissime. Etenim de Bacchi cultu scenico serius comperi ante me multa iam perscripsisse Welckerum in Trilog. Aeschyl. p. 321., et praecipue in Appendice huius libri p. 107. sqq. Sed res me fugit tum, cum ipse in hac parte pertractanda occupatus eram. Intellexi autem non multum ab meis discedere illum, et in quibus discesserit, ea satis manifesto falsa coargui propter ea, quae in his commentationibus sunt explanata.

## Caput II.

### *De Bacchi persona.*

Cum fabulae summa consistat in *Bacchi* numine ab Penthei impietate defendendo, eius persona est tanquam ornamentum totius tragoediae. Neque tamen ut deus statim prodit Bacchus, sed humana forma indutus, qua in re aliquantum cernitur ponderis et artis. Attamen hoc artificium non solum prioribus editoribus sed etiam Schaefero et Matthiae tam parum erat perspectum, ut in ver-

sibus 242. et 243. Elmsl. emendandis non mediocriter laberentur. Brunckius autem quum, qua erat iudicii sagacitate et elegantia, diligentius ad eam rem attendisset, ab eo non discesserunt cum Hermanno Elmsleius. Neque discedendi ullus erat locus. Nam quid rei sit, tum ab ipso Baccho exponitur principio statim fabulae v. 1. sqq. et v. 53. 54., tum identidem inculcatur deinceps, et manifestissime quidem v. 976., ubi Bacchus ipse accurate se distinguit a deo verbis *ἐγώ καὶ Βρόμιος*. Quippe quam Pentheus v. 232. declarat sibi innotuisse de Lydia Bacchi origine famam, eadem illius ipso testimonio confirmatur v. 464. Neque aliud quicquam cognitum erat choro, quam dei quendam ministrum esse illum, sibi constitutum *θιασώτην*, ut est v. 548. Etsi enim versibus 576. ad 603. tanquam deus agit cum choro, oculis tamen non cernitur, sed voce sola cognoscitur, ut planum fit verbis:

*Τίς ὅδε; τίς πόθεν ὁ κέλαδος*
*ἀνά μ' ἐκάλεσεν Εὐΐου;*

Ubi in conspectum reducitur in scena, quae deinceps sequitur a versu 604., veterem rursus sustinet Lydi personam et studiose diversum se facit a deo Baccho v. 605. 623. 629. Quoniam autem de fabulae consilio apparere aliquando debebat divina eius natura, in postrema demum scena ex commentitio illo Lydo verus prodit deus, suumque ipse Bacchus profitetur divinum numen v. 1338. Sed *Nonnus* cum sit acerrimus sectator Euripidis, tamen in hac re discedit, praeterquam quod Pentheum facit Dionysum deum dignoscentem ab eo, qui se ipse declarat hunc esse deum. Nam XLVI, 46. ad Bacchum Pentheus exprobrat haec:

*ὤφελες ἄρμενον ἄλλον ἀμέμφεα μῦθον ἐνίψαι,*
*ὅττι σε παιδοτόκῳ Κρονίδης τέκεν ἠθάδι κόρσῃ·*
*οὐ τάχα τόσσον ἄπιστον ἔην ἔπος, ὅττι καὶ αὐτὸν*
*Βάκχον ἀνυμφεύτῳ μετὰ Παλλάδα τίκτε καρήνῳ.*

Ceterum Bacchus statim se prodiderat deum, non Lydium hospitem, ut apparet tum ex his, tum ex iis, quae Pen-

theus disputat l. XLIV, 134—183. Sed *Ovidius*, item in multis consentiens cum Euripide, pariter Bacchum facit ministrum dei, non quidem Lydia oriundum, sed quod fere eodem redit, Maeonia, Metam. l. III, 577. sqq.

Quoniam simulata est illa Lydii hospitis species et sub humana forma verus latet ac genuinus Bacchus, deus ille quidem Jovis ex Semele filius, ex huius rei dignitate pendebat etiam descriptio *personae*, qua illum repraesentatum esse volebat Euripides. Atque eam quidem tam solertem esse intelliges et accuratam, ut plane expressum videatur proprium dei munus, propria indoles. Quod vero in plurimis deorum simulacris est observatum, ut non una effingerentur semper specie, sed a diversis diversa, id in Bacchi imaginibus animadvertere licet cummaxime, et testantur scriptores a Casaubono de Satyr. Poës. I, 2. p. 56. ap. Rambach. usurpati. Nam *Liberi patris simulacra,* Macrobio I, 18. auctore, *partim puerili aetate partim iuvenili fingunt, praeterea barbata specie, simili quoque, uti Graeci eius, quem Bassarea, item quem Brisea appellant.* Quibus in verbis Meursius ne *quoque* mutaret in *ore*, vel Ulpiani testimonio ab ipso excitato debebat admoneri, in quo perspicue est scriptum: *καὶ γὰρ παῖδα καὶ πρεσβύτην· καὶ ἄνδρα γράφουσιν αὐτόν.* In quibus quod omissa est iuvenilis species, comprehensam eam suspicor puerili, abs qua non multum abest illa Bacchi adolescentuli effigies. Diodorus autem Siculus l. IV. p. 149. B. Steph. (213. Rhodom.) quod duplicem tantum affert Bacchum, *τὸν μὲν παλαιὸν καταπώγωνα, τὸν δὲ νεώτερον, ὡραῖον καὶ τρυφερὸν καὶ νέον,* non existimandus est pugnare contra illorum fidem, quoniam consulto non omnium dei simulacrorum meminit, sed ad explicandam biformis appellationem duorum tantummodo maxime vulgarium. Quamquam fere consentit cum eo Eudocia in Viol. p. 120. Ac *senis* quidem *Bacchi* imaginem nullam ego inveni ab vetere quoquam memoratam, neque monimentum eius generis videtur ullum ad nostram memoriam pro-

pagatum. Nam quae apud Aeginetas fuisse perhibetur a Pausania II, 30. in. statua, ea potius virum Bacchum expressum fuisse arbitror quam senem, qualis est apud eundem V, 19, 6. barbati Bacchi imago. *Puerum* autem exhibent monimenta antiqua apud Winckelmann. tabb. 51—54. depicta. Sed quae ab eodem existimata est tab. 56. Leucotheae cum Baccho infante imago, de ea merito visum est aliter Zoëgae Marm. Antiqu. Rom. Tom. II. p. 310. Welcker. Usitatissima autem erant *Bacchi iuvenis* simulacra, atque ea forma videtur non modo oculis plerumque obiectus sed pervagata quadam opinione omnium Graecorum inhaesisse mentibus, *ἀγένειος ἀκριβῶς οὔτ' ἐπ' ὀλίγον χνοῶν τὴν παρειάν,* ut est ap. Lucian. in Bacch. T. VII. p. 304. Bip. Quocirca plurima, quae hoc tractant argumentum, monimenta antiqua nobis servata hunc ostendunt Bacchum (cf. Lanz. ap. Creuzer. de Symb. et Myth. III. p. 495.) idemque ad hanc Baccharum fabulam est adhibitus.

Sed quoniam nunc perventum esse intelligo ad eximiam illam Bacchi formae pulcritudinem, in ea profecto admirari oportet politissimam veterum artem imagines effingendi. Namque de eius venustate sic accepimus, ut praeter opinionem vulgi nostri *formosissimus alto coelo conspiceretur*, teste Ovidio Met. IV, 18., corpore tam egregie figurato, ut post Apollinem omnibus excelleret aliis; tantamque in eo pulcritudinis vim fuisse, ut mulierum amoribus excitandis nemo aptior vel haberetur vel vocaretur. De qua re conferre licet et plenius et melius disputantes Winckelmannum de Artis Ant. Histor. I. p. 160. sq. Monum. Ined. Praemiss. Dissert. c. IV. (T. I. p. 24. ap. Brunnium) Hirtium Pinacothec. Archaeolog. p. 81. sq. Atque hinc factum esse arbitror, ut quem in deliciis habebat Hadrianus, Antinoi simulacra effingerentur Bacchi similia, id quod scribit Pausan. VIII, 9, 8. Est igitur prorsus, ut ait Casaubonus l. c., *forma venustateque pollens, mollis ac delicatus, in muliebrem paene figuram habitumque formatus;* quapropter *θηλύμορφος* dicitur a Pentheo

v. 353. Et Eusebius Chron. p. 29. *γράφεται θηλύμορφος διά τε ἄλλας αἰτίας καὶ διὰ τὸν μιξόθηλυν στρατόν*, quae postrema ad modum sunt futilia. Indidem *ἁβρός* appellatur ab Nonno Dion. XLVI, 369. et *ὡραῖος νέος* ab Aristoph. Ran. 396., ubi videndus est scholiasta, et ab Sen. Oed. v. 409. *virgineum caput*, 421. *simulata virgo*, denique ab Luciano Dial. Deor. XVIII. (p. 51. T. II. Bip.) contemptus caussa *ἁβρότερος γυναικῶν*. Sed Euripides eum sic descripsit v. 232. sqq.

> *λέγουσι δ᾽ ὥς τις εἰςελήλυθε ξένος,*
> *γόης, ἐπῳδὸς, Λυδίας ἀπὸ χθονὸς,*
> *ξανθοῖσι βοστρύχοισιν εὔοσμος κόμην,*
> *οἰνωπὸς, ὅσσοις χάριτας Ἀφροδίτης ἔχων.*

laudatus iccirco ab Callistrato, qui hanc descriptionem imitatus est Stat. c. VIII. verbis his: *ἦν δὲ ἀνθηρὸς, ἁβρότητος γέμων, ἱμέρῳ ῥεόμενος, οἷον αὐτὸς* (fors. *αὐτὸν*) *Εὐριπίδης ἐν Βάκχαις εἰδοποιήσας ἐξέφηνε*. Nec insuavius est illud, quod scriptum est de corporis formositate cutisque candore v. 453. sqq.

Ex his perspicitur facie eius personam repraesentatam in scena fuisse egregie venusta, imberbi ac paene muliebri, candore et rubore bene mista (v. 438. Soph. Oed. R. 201. Nonn. X, 179. alias) et flavis cincinnis ornata. *Flavus* enim *capillus* inprimis in deliciis habitus est a veteribus, ita ut quem vellent tanta conspicuum describere pulcritudine, ut omnes inter se partes cum eximio quodam lepore consentirent, ei hunc assignarent comarum colorem, docente Winckelmanno Monim. Ined. P. I. Sect. II. c. 17. Tom. I. p. 32. Brunn. de Art. Ant. Hist. V, 5, 42. Et in Baccho quidem hoc genus crinium communi fere omnium scriptorum ore est celebratum, quemadmodum est ap. Senec. Oed. 421. *crine flaventi simulata virgo*, Eurip. Cycl. 63. *ξανθὰν σείων χαίταν*, Procl. Lyc. Epigr. V. in Anal. II, 446., Theaetet. Scholast. in Anal. II, 517. Unum scio ab hac pervagata describendi ratione discessisse eum, qui scripsit priorem homericum hymnum

in Bacchum, v. 4. de deo praedicantem: *καλαὶ δὲ περισσείοντο ἔθειραι | κυάνεαι.* Flavus autem Bacchus si minus propter tralaticiam illam opinionem, at vel iccirco debebat ostendi, quod iuvenum tenellorum personae ita fere solebant in scenam produci secundum Pollucis IV, 136. testimonium hoc: *ὁ δὲ ἁπαλὸς, βοστρύχους ξανθὸς, λευκόχρους, φαιδρὸς, πρέπων θεῷ καλῷ.* Quibus in verbis si Winckelmannus l. c. formoso deo statuit Apollinem significari, ego vero propter Euripidei Bacchi similitudinem potius hunc intelligo, siquidem Pollux de certo quodam deo cogitarit, id quod dubitare licet maximopere. In *cincinnis* autem quoniam non vulgare cernitur capitis ornamentum, illud cum in plurimis deorum simulacris est expressum, tum vero diligentissime in Apollinis et Bacchi. Ac de Bacchi quidem cincinnis et plurima exstant veterum scriptorum testimonia, et ex recentioribus egregie hanc rem tractavit Viscontius in Mus. Pioclement. Tom. II. tab. 28. p. 206. sqq. exempl. Mediol. Francogall. a. 1819. Hinc ipse Bacchus fabulae v. 494. *ἱερὸς*, ait, *ὁ πλόκαμος· τῷ θεῷ δ' αὐτὸν τρέφω*, quae ad verba praeter Diphilum ab Elmsleio allatum spectavit quoque Callimachus in Epigr. XXVII., de quo deinceps locus erit plenius disputandi. Neque tamen coma est curiosa arte crispata, cincinnis bene et suaviter compositis, sed paullo remissioribus, circa ipsas genas profusis. Pentheus enim v. 455.

πλόκαμός τε γάρ σου ταναὸς, οὐ πάλης ὕπο,
γένυν παρ' αὐτὴν κεχυμένος, πόθου πλέως.

quod Callistratus l. c. imitando sic expressit, ut *κισσόν*, Bacchi capitis redimiculum, faceret *τῶν βοστρύχων τοὺς ἑλικτῆρας ἐκ μετώπου κεχυμένους ἀναστέλλοντα.* Eodemque spectat, quod Nonnus dixit XLVI, 6. *ἄπλοκον ὑψόθεν ὤμων | μηκεδανῆς κεχαλασμένον ὁλκὸν ἐθείρης.* Scilicet hoc ipso cincinnorum negligentiore cultu differt Bacchus ab capillo Apollinis concinnius crispato, uti in Mon. Ined. Praem. Diss. p. 32. Brunn. testatur Winckelmannus, qui cum propter relicuam dei mollitiem ac teneritatem hoc

ita factum esse indicat, egregie confirmatur eius iudicium illo Euripidis *πόθου πλέως*. Indidem est, quod v. 150. Bacchus fingitur *τρυφερὸν πλόκαμον εἰς αἰθέρα ῥίπτων*, inque Theaeteti hymno supra memorato vocatur *ἀβροκόμης*. Ceterum qui praeterea de Bacchi capillo egit, a me autem usurpari non potuit, a Jacobsio ad Callistr. l. c. p. 711. citatus est, Zoëga in Dissertatt. a Welckero edit. p. 24.

Hanc Bacchi personae speciem ex ipsa fabula licebat intelligere. Verum qui praeterea fuerit oris ornatus, nihil apparet. Nam Pentheus eo loco, quo se poenam irrogaturum declarat Baccho v. 489. sqq., de nulla alia re, quam de abscindendis capillis thyrsoque diripiendo loquitur. At vero sine ullo capitis redimiculo in scenam productum eum esse, parum habet probabilitatis cum propter aliorum scriptorum et marmorum antiquorum quaedam testimonia, tum propter bacchicum relicuarum personarum apparatum. Etenim proditum est a Diodoro Siculo l. IV. p. 148. d. Steph. hoc: *πρὸς δὲ τὰς ἐκ τοῦ πλεονάζοντος οἴνου κεφαλαλγίας τοῖς πίνουσι γινομένας διαδεδέσθαι λέγουσιν αὐτὸν μίτρῃ τὴν κεφαλήν· ἀφ' ἧς αἰτίας καὶ μιτροφόρον ὀνομάζεσθαι. Ἀπὸ δὲ ταύτης τῆς μίτρας ὕστερον παρὰ τοῖς βασιλεῦσι καταδειχθῆναι τὸ διάδημά φασιν.* Quo *μιτροφόρον* nomine eum habes vocatum apud Orpheum h. LII, 4. Apud Lucianum est *μίτρᾳ τὴν κόμην ἀνεδεδεμένος* T. VII. p. 304. Bip.; quare *θηλυμίτρης* dicitur ibid. p. 305., et ornatius a Sophocle Oed. R. 200. *χρυσομίτρης*, a Theaeteto Schol. l. c. v. 23. *χρυσεομίτρης*. Seneca Oed. 403. *Te decet vernis comam floribus cingi, | te caput Tyria cohibere mitra.* Denique a Strabone XV. p. 1038. c. Almel. *Διονυσιακὸν* esse perhibetur *καὶ τὸ σινδονοφορεῖν καὶ τὸ μιτροῦσθαι.* Imaginem eius eo velamine indutam cernere licet ap. Millinum de Vas. Pict. I. tab. 9., indicatum a Creuzero de Myth. et Symb. III, 498. Verum eiusmodi mitra, quae addita utrinque habebat bac-

carum tegmina, Bacchum non fuisse velatum, consentaneum est iccirco, quia Pentheus, quem propter muliebrem speciem et mollitiae notam v. 831. pudet ea indui, opprobrio vertere hunc ornatum hospiti non esset oblitus. Nec solum eo mitrae genere religabatur caput Bacchi, sed omissis baccarum redimiculis lata fascia vel diademate, quod tum vinciebat frontem, tum in vertice per comas erat ligatum. Et hanc tanquam infulam Bacchi fere propriam esse in simulacris auctor est Hirtius Pinacoth. Arch. p. 81., sentiens cum Zoëga ap. Creuzer. l. c. p. 195. Huius similitudine fasciae factum est, ut mitrae usus apud reges cederet in diadematis redimiculum, id quod supra traditum est Diodori testimonio. Quippe videtur ea ipsa diadematis significatione acceptum interdum esse *μίτρα* vocabulum, siquidem recte scribit Suidas: *Μίτρα, διάδημα ἢ ζώνη*, verbis plane conspirantibus cum schol. ad Arist. Thesm. 945., et Hesychius: *Μίτρα, ἡ χαλκῆ λεπίς· διάδημα· ζώνη· θώραξ· ταινία.* Idemque de *mitrula* in Solino notavit Salmas. Exercc. Plin. p. 371. c. *Fasciam* interdum *capitalem* esse pridem significavit Rubén. de Re Vest. I. c. 13. Tom. VI. p. 973. Graevi Thes. Antt. Rom. Sed diadematis significationem video plane evinci exemplo Callimachi h. in Del. 166. *ὕπατον γένος, ᾧ ὑπὸ μίτρην | ἵξεται οὐκ ἀέκουσα Μακηδόνι κοιρανέεσθαι,* ubi aperte fasciam regiam vel ipsum regnum valet. Quapropter videndum est, ne eandem in partem explicandum sit Sophoclis *χρυσομίτρης*, et Athenaei *μίτρα χρυσόπαστος* l. XII. p. 536. a. De Senecae *Tyria mitra* pridem ita iudicavit Winckelm. Mon. Ined. II, 39. Brunn., inductus potissimum, ut opinor, Luciani in Baccho p. 360. testimonio, quo *purpurea* fuisse traditur Bacchi illa fascia. De eodem diademate forsitan cogitarit Pollux, *μίτραν* numerans in tragico apparatu IV, 116. De ceteris mitrae rationibus infra expositum est in chori ornatu. Sed instructum eiusmodi diademate Bacchum videre licet apud Zoëg. Marm. Ant. Rom. tab. CI., Creuzer. l. c. I. tab. V, 5. Ut proprium in Baccho hunc pariter

atque cincinnorum ornatum notat Viscont. Mus. Piocl. T. III. tab. 40. p. 188. Eodem Bacchi personam in scena solitam esse religari, eo fit probabilius, quod quae in monimentis ad nostram memoriam proditae sunt personae bacchicae, maximam partem sic habentur redimitae. Ita est ap. Zoëg. tab. XVII. cum Ampeli effICTA Bacchi barbati persona, insignis suavibus cincinnorum fimbriis et diademate magnis fulgentibus gemmis illuminato et fere simili eius, quo caput eius cinctum narrat Nonn. XLV, 123.

ἀμφὶ δὲ κόρσην
στέμματος ἀστράπτοντος ἔην αὐτόσσυτος αἴγλη
λυχνίδος ἀσβέστοιο, καὶ ἔγχλοα νῶτα μαράγδου.

Alia sunt eiusdem generis exempla gemina in Mus. Napoleont. T. II. tab. 27. 28. ab Zoëga in disputatione super illo monimento Tom. I. p. 162. allata et descripta. Quid quod personam tragicam, quae exhibita est ap. eund. Zoëg. tab. XXIV., Bacchi esse iure quodam nostro videmur contendere? Namque illud quidem mihi est persuasissimum, ex veritate iudicasse Zoëgam (Tom. II. p. 205.), cum hoc typo tragicum poëtam tanquam de fabulae cuiusdam argumento meditantem ostendi suspicaretur. Quippe confirmatur coniectura non solum iis, quae de Protogenis simili pictura perscripsit Plinius a Welckero ibid. citatus, verum etiam auctoritate statuae, qua expressus erat in Xeuxippo Euripides, eandem prae se ferens meditabundi speciem; si recta est explicatio Christodori Ecphras. v. 32. Analect. II. p. 457.

ὡς δὲ δοκεύω,
λάθρῃ ὑπὸ κραδίην τραγικαῖς ὡμίλεε Μούσαις,
ἔργα σαοφροσύνης διανεύμενος.

Sed de opposita illi tragico figura quod Zoëga censuit videri expressum esse aut scribam poëtae aut histrionem, de scriba quidem cogitare alienum est, ut quod hominum genus vix est veri simile privato usui apud veteres serviisse, de histrione autem suspicio certe longe probabilior est, quam quae est Welckeri sententia, hac figura poëtam

effictum esse, histrionem illa. Jam vero quae est his duabus figuris interposita persona, adolescentuli speciem praebet imberbis ac tenelli, cincinnorum suaviter compositorum est maxima prolixitas et tanquam luxuria quaedam, postremo frons ostenditur diademate religata. Quae quum sit summa similitudo cum Bacchi simulacris, quumque tragica ars arctissimo vinculo cum Bacchi religione contineatur, in tragici poëtae effigie vix quicquam videtur probabilius posse coniici, quam de ipso Baccho in illa persona effingenda artificem cogitasse. Quodsi paullo liberius etiam diffluérent cincinni, manifesta esset illius personae cum hac Euripidea conspiratio, nec sane aliena coniectura, videri artificem huc spectasse. Nam ne illud quidem temere factum esse credo, quod in marmore illo Musei Napoleontei imberbis Bacchi personae, quae item gestat fasciam hedera pertextam, thyrsus et tympanum expressa sunt adiacentia. Quippe ex longe maiore bacchicorum instrumentorum numero illis potissimum bacchicae huius fabulae personae utuntur. Personas autem tragicas ab artificibus interdum esse expressas, testatur Dioscoridis in Anal. I, 500. epigramma XXVIII., quo *κουρίμου παρθένου* persona in Sophoclis tumulo collocata declaratur aut ad Antigonam aut ad Electram pertinere. Sed Euripidei Bacchi vere est persona ex hac tragoedia efficta, quam cum Musis dedicatam apud magistrum in ludo litterario discentium conspectui proposuisset Simus quidam, ansam hinc captavit Callimachus epigramma condendi illud, de quo supra iam meminimus posito in Brunck. Anal. I. p. 467. Est illa Jacobsii egregia coniectura, in Animadvv. Vol. I. P. II. p. 279., in qua nihil sane relictum est dubitandum, nisi quod verba *ἀνὰ τήνδε τοῦ Σαμίου διπλόον* potius secundum Bentlei mentem intelligenda propter Samii commemorationem arbitror, quam de bivio accipienda. Epigramma est hoc:

*Εὐμαθίην ᾐτεῖτο, διδοὺς ἐμὲ Σιμὸς ὁ Μίκρου*
*ταῖς Μούσαις· αἱ δὲ, Γλαῦκος ὅκως, ἔδοσαν*
*ἀντ᾽ ὀλίγου μέγα δῶρον. ἐγὼ δ᾽ ἀνὰ τήνδε κεχηνὼς*

κεῖμαι τοῦ Σαμίου διπλόον, ὁ τραγικὸς
παιδαρίων Διόνυσος ἐπήκοος· οἱ δὲ λέγουσιν,
„Ἱερὸς ὁ πλόκαμος“ τοὐμὸν ὄνειαρ ἐμοί.

Scripsi verba, uti reperta sunt in Jacobsii exemplari, quamquam, ut hoc leviter perstringam, non perspicio illa τοὐμὸν ὄνειαρ ἐμοί, quae eundem in modum tradita sunt in Anthol. Palat. I. p. 289. Nam quae est Jacobsii explicatio: *quae mihi notissima sunt Euripidis in Bacchis verba*, ea quomodo conciliari debeat cum vulgari vocabuli ὄνειαρ significatione, non intelligo. Exemplum, quod comparavit Jacobsius, ὦ μέγα Βαττιάδαο σοφοῦ περίπυστον ὄνειαρ, plane abhorrere, ipsa arguit eiusdem viri nota Vol. III. P. II. p. 181. Quapropter quoniam in libro Vaticano et apographo Lipsiensi itemque ab Scaligero exhibitum est: τοῦ μόνον εἶαρ ἐμοί, de εἶαρ quidem non dubito, quin verum sit, quod multifariam traductum est ad designandam rerum vel suavitatem ac veluti florem vel ornamentum et praestantiam. Nam eam in sententiam dictum est Χαρίτων ἔαρ Analect. II, 505, 51. de suavissima Charitum, et πνοῆς ἔαρ de odore suavissimo in Mariani epigr. IV. ib. II, 512.; μελισσοτόκων ἔαρ ὕμνων de carminibus iucundissimis ib. III, 261, 524.; et iuventus quoniam est vegetissima civium pars, a Demade ap. Athen. III, 99. d. vocatur τὸ τοῦ δήμου ἔαρ, quod exemplum excitavit Jacobs. Apud Antipatr. Sidon. epigr. LXXV. est: εὕδει καὶ Σμέρδις, τὸ πόθων ἔαρ. Quocirca eleganter cincinnorum decus, quod cum molli iuventute coniunctum fingebatur, dici poterat verbi caussa κόμης vel κεφαλῆς ἔαρ; quemadmodum lanugo dicta est a Crinagora ep. XII. An. II, 143. τὸ πρῶτον γενύων ἔαρ. Ac proxime forsitan ad veritatem accesserit εὔκομον εἶαρ. Sed haec hactenus.

Verum quoniam quae hucusque de diadematis redimiculo disputavi, non tam certa esse video, quin addubitari queant, fieri etiam potuit, ut Bacchus sola *hedera* redimitus compareret. Nam hoc quidem ornamentum negari

non potest. Hederam enim huic deo cumprimis fuisse sacratam, et tralaticium est et contestatum multorum scriptorum testimoniis. Hinc *κισσοκόμης Βρόμιος* affertur in Macedonii epigr. XXVI. An. III, 118., et *κισσόβρυος* ab Orpheo h. XXX, 4., *κισσοχαρής* ibid. LII, 11., *κορυμβοφόρος* ap. Nonn. XLII, 13., *φιλοκισσοφόρος* ap. Eurip. Cycl. 593., denique *racemiferos hedera redimitus capillos* ap. Ovid. Fast. VI, 483., qui et ipse quare hedera ei gratissima fuerit declarat ibid. III, 767. Indidem Philostratus Epist. XXVI. p. 925. Olear. huius ornamenti commemoratione utitur, ut quod praecipue proprium sit dei verbis: *τὸν Διόνυσον, ὡς μετὰ τῶν τριχῶν καὶ τῷ κιττῷ κομῶντα.* Eadem de caussa agricola in epigr. Leonidae Tarent. XXX. An. I, 228. Pani, Nymphis et Baccho sacra facturus, horum postremo dedicat *hederae surculum.* Atque hinc orta est historia, quam tradit Plin. H. N. XVI, 4., ut Liber pater primus omnium capiti suo coronam hederaceam imposuisse perhiberetur. Quid quod hederae, ut verbis utar Casp. Barthii in comm. ad. Stat. Theb. II, 665., usque adeo sunt bacchicae, ut recens natum sponte obiverint. Sic enim dei originem Euripides exornavit in Phoen. v. 621., qui locus non praeteriit Winckelmannum T. I. p. 46. Brunn. in explicatione tabulae 53., qua effictus est infans Bacchus hedera coronatus. Uberius autem rem illustrat, sine dubio poëtarum fabulas secutus, Mnaseas ap. schol. ad illos Phoen. versus p. 683. Valcken. Apud Nonnum *κισσός* adeo personatus affertur inter relicuos Bacchi comites l. X. v. 405. Neque in his consistentes, qui de Baccho scripserunt, poëtae finxerunt etiam hederam in nave, qua Bacchus vehebatur a Tyrrhenis captus, sua sponte natam remorum pulsum intermisisse, ut prodidit Ovid. Met. III, 664., paullulum variata narratione homerici hymni VI, 40., quam praeterea persecuti sunt Oppian. de Venat. IV, 261. Philostr. Imag. I, 19. Nonn. Dion. XLV, 105. sqq. Itaque hac specie ostenduntur plura eius signa, quo ex genere est illud, quod in

Rhegini cuiusdam domo collocatum descripsit Proclus Lyc. epigr. V. Anal. II, 446.; et statua Callistrati identidem iam memorata. Apud Nonnum ubique sic comparet. Et quoniam Bacchus omnino est ὁ παρὰ καλλιστεφάνοις εὐφροσύναις δαίμων πρῶτος μακάρων, uti dicitur huius fab. v. 375., sunt alia multa coronarum genera, quas gestare fingitur, velut *pampinea* ap. Casaub. de Satyr. Poës. I, 2. p. 58. Ramb., *myrtea* ap. Aristoph. Ran. 331. Sed de coronamentis infra dictum luculentius est. Cum igitur propter hanc testimoniorum copiam et consensionem eiusmodi ornamentum cadit in Bacchi Euripidiam personam, tum accedit, quod relicuae fabulae personae bacchicae, cummaxime Bacchae mulieres, hederaceam coronam in capite impositam habuerunt omnes, eademque omnino ad bacchandi ritus existimata est necessaria. Nec non aliquid momenti habet illud, quod obiiciuntur in marmoribus personae bacchicae hoc redimiculo instructae, velut una ex Maffei Mus. Veronens. p. 223. n. 3. affertur a Zoëga l. c. I. p. 165. Sed tamen quoniam deus est Bacchus, qui forma humana aliquantisper indutus apud Euripidem in scenam prodit, consentaneum videtur esse, praeter hederam eius personam habuisse insigne quiddam ad decus ac prae relicuis conspicuum: id quod cernitur in diadematis ornamento. Quare non abhorret suspicio, utrumque consociatum in capite fuisse ea specie, quae est personae in Museo Napoleonteo effictae, vel quam apud Creuzer. M. et S. III. p. 498. descripsit Zoëga.

## Caput III.

### *De relicuo Bacchi ornatu.*

Ea fere erant, quae de personae Bacchi specie dicenda viderentur. Nunc quoniam restat, ut de vestitu relicuoque apparatu quaeramus, ea in re video paullum altius mihi

esse repetendum, quum sint vestimentorum genera, quorum pluribus personis communis in scena erat usus. Eorum igitur descriptionem statim hic licet subiicere.

Cum universi apparatus non vulgaris magnificentia consentanea videri deberet dignitati tragoediae ac maiestati, tum vero summum in vestimentis consectata scena antiqua est splendorem. Itaque tragici histriones ampliore utebantur vestitu et talari; qui quoniam ad muliebrem potius accessit cultum quam ad virilem, *στολή* dicta est vel *σωμάτιον*, teste Polluce IV, 115. II, 235. Quare Luciani in Cynico c. 16. T. IX. p. 210. verba snnt haec: *θαυμάζω δέ σου, πῶς ποτε κιθαρῳδοῦ μέν τινα νομίζεις στολὴν καὶ σχῆμα, καὶ αὐλητοῦ νὴ Δία σχῆμα, καὶ στολὴν τραγῳδοῦ, ἀνδρὸς δὲ ἀγαθοῦ σχῆμα καὶ στολὴν οὐκέτι νομίζεις*, ubi eius concinnitatis, quam desideravit Frid. Jacobsius ad Philostr. p. 390., nullam equidem perspicio necessitatem. Eodem spectare arbitror Antiphanem versibus, quos, cum ap. Polluc. VII, 59. non mediocriter corrupti legantur, sic restituendos coniicio:

> ταῖς δ' ἐν στολαῖς αὐταῖσι τετραγῳδημέναις
> σκελέαις τε καὶ τιάραις.

Eam vero stolae magnificentiam primus in scenam induxisse narratur, qui multifariam de amplificanda tragoediae dignitate meritus est, Aeschylus, ut auctor est praeter Philostratum (Vit. Apoll. VI, 11. p. 244. sq. et Gorg. c. I. p. 492. Ol.) Athenaeus l. I. p. 21. e. *καὶ Αἰσχύλος δὲ οὐ μόνον ἐξεῦρε τὴν τῆς στολῆς ἐμπρέπειαν καὶ σεμνότητα, ἣν ζηλώσαντες οἱ ἱεροφάνται καὶ δᾳδοῦχοι ἀμφιέννυνται κ. τ. λ.* Notavit idem testimonium Jacobs. ad Dioscoridis epigr. XVII. in Anal. I, 497., laudesque Aeschyli eo epigrammate celebratas rite intellexit illuc spectare. Eandem in partem notum est Aeschylum ornatum esse ab Horat. A. P. 278. *Personae pallaeque repertor honestae* | *Aeschylus*, quibus cum verbis expediet contendisse Aristoph. Ran. 1031. 1032. Sed de his rebus disputarunt Tyrwhittus et Rermannus ad Aristot. A. P. c. II. (IV, 15.)

Hic autem stolae vestitus etiamsi non fuisset tragoediae proprius, cumprimis tamen in Bacchi personam cadere debebat, tum quoniam est deus, qui muliebrem speciem sectabatur, mollis ac delicatus, tum vero quod eadem vestis talaris tanquam proprium eius indumentum memoratur. Cuius rei auctor est Clemens Alex. Protrept. p. 17. lin. 25. Sylb. scribens: *εἰ γοῦν τις τὰς γραφὰς καὶ ἀγάλματα περινοστῶν θεᾶται, γνωριεῖ ὑμῶν παραυτίκα τοὺς θεοὺς ἐκ τῶν ἐπονειδιστῶν σχημάτων, τὸν Διόνυσον ἀπὸ τῆς στολῆς, τὸν Ἥφαιστον ἀπὸ τῆς τέχνης κ. τ. λ.* Sed quoniam virorum vestitus duplex plerumque erat, ut et *tunicam*, *χιτῶνα*, induissent, et *pallio*, *περιβλήματι*, *ἐπιβλήματι*, *ἱματίῳ*, amicti essent, in tunica quidem maxime cernebatur talaris illa species, quemadmodum etiam Lucianus in Jove Trag. T. VI. p. 273. affert *τοὺς ποδήρεις χιτῶνας*. Neque tamen aliena illa fuit a pallio, utiturque in Apotheosi Homeri ap. Cuper. p. 182. Tragoediae persona et tunica et pallio talaribus. *Tunica*, qua utebantur in tragica scena histriones, dicebatur *ποικίλον*, declarante ipso nomine, qualis fuerit eius aspectus. Etenim distinctum erat hoc vestimenti genus summa colorum varietate et multarum rerum formis pertextum. Latinorum est *picta vestis*, ut monuit, qui de ea re locutus est, Salmasius ad Hist. Aug. Script. p. 508. sq. (exempl. Paris, a. 1620.) Hesychii de huiusmodi veste variegata est glossa: *Ποικίλον, ἱμάτιον ζωγραφητόν.* Vestes animalium picturis ornatae apud Persas maxime usitatae feruntur, ut est ap. Philostr. Imag. II, 31. Florum autem varietatem intextam memorat Plato ap. Kuhnium ad Polluc. VII, 47. scribens, *ἱμάτιον ποικίλον, πᾶσιν ἄνθεσι πεποικιλμένον*, eiusque generis unum vestimentum elegantissime descripsit poëta, qui Cypria carmina condidit, ap. Athen. XV. p. 682. e. Vestes, in quibus animalium et florum simulacra erant efficta, fuerunt quoque *κατάστικτοι χιτῶνες*, quales describuntur a Poll. VII, 55. Sed in tunica illa constantia quaedam usus per omnes tra-

goedias pervagati cernebatur, et erat vestitus omnibus personis virilibus communis, exceptis quorum lugubris esse debebat species. Nam Pollucis quidem l. IV, 115. verba sunt plane in universum perscripta haec: *Καὶ ἐσθῆτες μὲν τραγικαὶ ποικίλον· οὕτως γὰρ ἐκαλεῖτο ὁ χιτών.* Et si qua sit eius communitatis dubitatio, eam prorsus tollunt, quae apud eundem leguntur paullo infra: *κόλπωμα, ὃ ὑπὲρ τὰ ποικίλα ἐνεδέδυντο οἱ Ἀτρεῖς· καὶ οἱ Ἀγαμέμνονες, καὶ ὅσοι τοιοῦτοι.* Quapropter etsi in diversis personis coniicere licet aliquam fuisse vel colorum vel pigmentorum diversitatem, accommodatam illam quidem ad personae cuiusque tum aetatem tum dignitatem, tamen consentaneum est in hac fabula cum *eodem tunicae variegatae indumento* processisse *Pentheum*, *Cadmum*, *Tiresiam*. *Bacchum* autem eo vestiri consuevisse, perspicuum est Pollucis testimonium l. VII, 74. hoc: *τὸ ποικίλον Διονύσου χιτὼν βακχικός*, itemque Photii s. v. *ποικίλον· τὸ Διονυσιακὸν ἱμάτιον οὕτως ἔλεγον.* At vero memorantur alia Bacchi indumenta. Ex quibus non huc pertinet, quod habet Poll. IV, 118. verbis: *καὶ τὸ θήραιον τὸ Διονυσιακόν.* Recensetur enim in vestimentis satyrici dramatis. Quamquam eius species non multum videtur discrepuisse ab *ποικίλῳ.* Nam Pollux VII, 77. *θήραιόν τι ποικίλον.* Sed alia est vestis *βασσάρα*, de qua Pollux VII, 59. *Λυδῶν δὲ βασσάρα*, inquit, *χιτών τις Διονυσιακὸς ποδήρης.* Ea et ipsa erat tunica ampla et prolixa, colorum pigmentorumque varietate distincta, usitata maxime in Lydorum et Phrygum religione bacchica, quam Baccharum fere propriam fuisse, infra ivimus demonstratum. Baccho quidem perspicue nusquam tribuitur. Sed videntur magis nomine quam re disiuncta fuisse: *ποικίλον βακχικόν* et *βασσάρα*, nec tam gravis esse ambigendi caussa, ut ideo immoremur hic diutius.

Verum ne quid prius definire videar, quam examinata sunt argumentorum vel testimoniorum omnium pondera, restat gravissima Pollucis auctoritas, cuius exstant l. IV, 117.

de Baccho tragico verba perspicua scripta haec: *ὁ δὲ κροκωτὸς ἱμάτιον. Διόνυσος δὲ αὐτῷ ἐχρῆτο καὶ μασχαλιστῆρι ἀνθεινῷ καὶ θύρσῳ.* Cum quo facit Suidas in glossa: *Κροκωτὸν ἱμάτιον Διονυσιακόν*, vestigia secutus scholii ad Arist. Ran. 46. *Διονυσιακὸν φόρημα ὁ κροκωτός.* Quippe cum eodem vestimento in Ranis processit Bacchus, pelle leonina superiniecta, omninoque specie tragica et comica ludibrii caussa permixta. Itemque bacchicum crocotae usum testatur scholiasta ad Thesmoph. v. 145. Itaque signum, quod in splendidissima illa Ptolemaei Philadelphi pompa curru vehebatur Bacchi, hoc vestis genere erat indutum referente Callixeno ap. Athenaeum l. V. p. 198. c. Plura etiam invenies enotata ap. Spanhem. ad Call. p. 100. (h. in Apoll. v. 83.) Ruhnken. ad Vellei. II, 82. Creuzer. l. c. II, 330., ubi eius rei studiosi delegantur ad librum, mihi quamvis multa agitanti non visum, quem conscripsit idem de Dionyso T. I. p. 196. ss. 265. Quid igitur est quod quaeramus, si hoc indumentum perhibetur ut Bacchi in tragoedia proprium? Ponamus ergo tunicam, qua Bacchus in Euripidea scena utebatur, fuisse hanc crocotam. Nam de *tunica* testatur scholiasta ad Thesm. v. 260. et 945. scribens *εἶδος χιτῶνος.* At vero quid tum de *ποικίλῳ*? Hoccine unum et idem fuisse atque *κροκωτόν* illum credamus Genello l. c. p. 87., vestem versicolorem figurarum purpurearum varietate distinctam? Immo vero, quantum ego scrutatus sum, nihil quicquam traditum est in crocota de colorum et figurarum varietate: crocei tantum coloris vestem fuisse inveni. Neque tunicae solum fuisse speciem sciunt veteres, sed in plurimis exemplis supra transcriptis vides dictum *ἱμάτιον*, et luculentius etiam ap. schol. ad Thesm. 245. *ἔνδυμα, τὸ ἐγκύκλιον ἱμάτιον.* Atqui muliebre erat vestis genus *ἔγκυκλον* bis memoratum ab Aristophane in Thesmophoriazusis, cuius qualis fuerit habitus, ipsi incerti haerent grammatici, Suidas s. v. T. I. p. 673. ap. Kust., Pollux VII, 53., neque quicquam defi-

niverunt interpretes ad Aelian. V. H. VII, 9. Sed quum ab scholiasta illo afferatur mentio *ἐνδύματος*, et similiter scriptum sit ab eodem (ad v. 945.) *κροκωτὸς εἶδος χιτῶνος καὶ ἐνδύματος ἐγκυκλίου*, postremo Pollux VII, 49. verbis *ξυστὶς ἔνδυμά τε ὁμοῦ καὶ περίβλημα καὶ χιτών* manifesto discernat *ἔνδυμα* et *χιτῶνα*: illud existimo fuisse vestimentum, quod super tunicam (*χιτῶνα*) induerent. Praeterea constat et expositum est ab Winckelmanno Art. Ant. Hist. I. p. 194. sqq., mulieres Graecas trifariam vestiri esse solitas, tunica, indumento quodam superiniecto et pallio. Quare non dubito, quin item deus, cuius et forma et indoles plurimum accedere creditae sunt ad muliebrem naturam, praeter tunicam gestarit aliud quoddam indumentum super impositum, et crocei quidem coloris, *κροκωτόν*. Eamque sententiam egregie confirmari video ea ratione, qua Bacchus ille Ptolemaei Philadelphi vestitus describitur ap. Athen. l. c. Namque quemadmodum in hoc simulacro comparebat *χιτῶνα πορφυροῦν ἔχων διάπεζον καὶ ἐπ' αὐτοῦ κροκωτὸν διαφανῆ*, ita coniicio Bacchum Euripideum praeter tunicam, quae erat *ποικίλον* vel *βασσάρα*, gestasse *ἔνδυμα κροκωτόν*, idque non minus splendidum, quam fuit illud Ptolemaicum. Amplissima autem sine dubio erat tunica illa, fluida, prolixa et tam talaris, *ποδήρης*, ut quemadmodum est apud Statium Achill. I, 206., *vestigia fere verreret deus muliebris*, aut apud Senecam Herc. Fur. 476., *parum forti gradu traheret syrma.*

Deinde eum vidimus Pollucis testimonio tradi accinctum *μασχαλιστῆρι ἀνθεινῷ*, *splendido axillari*, ut suo quodam vocabulo vertunt interpretes. Ac cingulorum quidem in scena usurpatorum fuisse genus quoddam longe magnificentissimum, et colligere licet ex relicui apparatus ratione, et gnaviter perspectum comprobatumque est a Winckelmanno in Mon. Ined. II, 109. Br. Etenim tum certissima est et propria quaedam nota tragicae Musae Melpomenae balteus vulgari aliquantum latior, tum in mar-

moribus vetustis, quibus expressae sunt scenae tragicae, eodem cinguli genere redimiti conspiciuntur histriones, quibus personarum principalium partes sunt impositae. Vide praeterea Boettigerum de Pers. Furiar. p. 39. Sed de tragica Musa eius rei documentum exstat instar omnium in monumento Musei Capitolini, quod de integro exprimendum curavit Viscontius in Museo Pioclementino Tom. I. tab. B. no. 9. Tom. II. tab. 26., descriptioque ibidem est eiusdem p. 193. sq. Hac autem occasione exemplo licet docere insigni, quanta sit in *Genello* et temeritas et de lectorum rationibus securitas. Qui p. 90. de cingulo exposuit hunc in modum: transcripsimus ad rem notabilem planius intelligendam ipsa eius vernacula verba: *Für die männlichen Rollen von höherer Würde, d. h. für die Heroen wird ein Gürtel angegeben, der ausdrücklich persisch genannt wird, und welcher beschrieben wird als eine ungewöhnlich breite und in Falten gelegte Leibbinde von scharlachrothem Zeuge, die unten mit herabhängenden Franzen oder Trotteln besetzt war.* Haec ego dum lego tam perspicue tamque definite perscripta, quoniam nulla, qua nitantur, cuiusquam hominis suppetit auctoritas, mirabundus diu ac dubius haesito. Nam tantum quidem certum et testatum est, fuisse persici cinguli genus fimbriatum. Nempe reperiuntur apud Brisonium de Regio Persarum Principatu l. II. §. 195., exemplaris Lederliniani pag. 559. haec: *Mulieres vero latis et fimbriatis zonis cinctas fuisse, scholiasta Aeschyli in Pers. tradit. Ideo enim βαθυζώνους Περσίδας appellatas, διὰ τὸ κροσσωτοὺς ζώνας ἔχειν.* Scholiastae est annotatio ad v. 160. Verum quid istuc cum Graecis? Nec hi plane abhorruerunt ab tali usu. Nam apud Homer. Il. XIV, 181. Juno *ζώσατο ζώνην ἑκατὸν θυσάνοις ἀραρυῖαν*, ubi scholiasta: *θυσάνοις, κροσσοῖς.* Sed quid cum tragoedia? Scilicet confinxit Genellus istam de tragico balteo fimbriato fabellam Boettigeri quadam ratiocinatione abusus

pravissime. Is enim quum in coniectura de Furiarum Aeschyliarum vestitu proponenda versaretur, usurpavit in hanc rem historiolam a Suida s. v. φαιός memoriae propagatam, qua Menippus Cynicus ornatu furiali circumiisse fertur tanquam speculator ex Tartaro promissus. In cuius ornatus descriptione memorantur *χιτὼν φαιὸς ποδήρης, περὶ αὐτὸν ζώνη* π ε ρ σ ι κ ή. Verum cum ab his Diogenes Laërt., apud quem l. VI, 102. eadem narratio exstat iisdem verbis, sed de Menedemo prodita, paullulum discrepet eo, quod φ ο ι ν ι κ ῆ ν affert zonam, hoc quidem Boettigerus p. 37. existimat primum coloris explicandi gratia ascriptum veram scripturam, quae fuerit π ε ρ σ ι κ ή, deinceps removisse. Sed expedit ipsa eius verba eo, quo usus est, sermone vernaculo transcribere. Ait enim: *Mir ist sehr wahrscheinlich, dass die Griechen eine Art breiten, rothen Gürtel* (*s c h a r l a c h r o t h* paullo ante dixerat) *oder Scherpe, die sie aus Asien bekamen, p e r s i s c h e Gürtel genannt haben.* Quo ex genere item fuisse Furiarum cingulum, eo praeterea insignem, quod fuerit cirris vel fimbriis infra dependentibus ornatus: *wahrscheinlich mit h e r a b h ä n g e n d e n T r o d d e l n o d e r F r a n z e n geschmückt,* ut suis inquit verbis p. 38. Quippe caussam eius suspicionis habet illud scholiastae Aeschylei, quod supra posuimus, de ζώναις κροσσωτοῖς testimonium. Postremo autem veritati congruenter adiecit haec: *Der b r e i t e, e i n f a c h e Gürtel war weit mehr im hohen tragischen Stil.* Jam vero ex his de *Genello* poterit iudicium fieri certissimum. Scilicet is, qua Boettigerus usus sit argumentatione, tantum abest ut fuerit curiosus, ut non solum eius rationes non ponderarit, sed quae in sola coniectura posita essent, pro certissimis sumpserit, eoque processerit temeritatis, ut ab antiquis adeo scriptoribus accurate et perspicue traditum persici cinguli nomen confidenter pronuntiaret. Nec in descriptione cinguli satis habuit, Boettigerum ad verbum ex parte sequi, id quod significavimus vocibus distinctis, sed rem inconsiderate ita dilatavit, ut

quod de singulari Furiarum cingulo Boettigerus perscripsisset, id ad universas principales tragoediae personas transferret. Igitur ego hoc quidem concedo, fuisse baltei in tragicis personis tum latitudinem quandam vulgari consuetudine maiorem, tum summam magnificentiam. Nam posterius vel ex eo licet colligere, quod Athenienses contestatum est sumptibus in spectacula faciendis adeo non pepercisse, ut quo quis plus illuc contulisset, eo melius sibi videretur de republica meruisse, ut auctores sunt Plutarch. de Glor. Athen. c. 6. (p. 429. T. II. Wytt.) Justin. l. VI, 9. (de temporibus post Epaminondae mortem) Wolf. Prolegg. ad Leptin. p. XCI., Boeckh. de Tr. Gr. Princc. p. 91. Quocirca poterat ille quidem in viris cingulus esse purpureus propter huius coloris splendorem; poterat idem esse auratus vel pustulis ac bullis aureis ornatus: id genus enim descripsit Salmasius ad Hist. Aug. Script. p. 295. Sed de veritate nihil licet definire. Praeterea id, quod de *persico* huius baltei lati nomine disputavit Boettigerus, vehementer dubito. Nam primum in Suidae scriptura *περσικῄ* parum intelligo contineri firmamenti, quoniam, id quod neglexit Boettigerus, cum Diogene in *φοινικῇ* consentit Kusteri liber Parisinus. Quo autem deinde Boettig. utitur argumento, admodum probabile videri, Graecos, quoniam multa rerum genera magnificentiae specie splendorisque varietate excellentia vocitarint persica, eandem consuetudinem in cingulo designando tenuisse: id quum statim apparet quam leve sit, tum plane in contrariam partem licet vertere. Quid enim? Qui factum censeamus, ut scriptores in notandis rebus, quae de Persis essent muncupatae, alioqui tam diligentes, ut minutissima quaeque commemorarent, hoc ornamentum inprimis insigne praetermitterent? Quem casum prorsus mirabilem eo minus licet exputare, quo maiore accuratione in re maxime vestiaria non solum diversa vestium persicarum genera, sed diversa eorundem generum nomina afferrent. Ita apud Pollucem persicae tunicae *κάνδυς*, *κάπυ-*

ρις, καυνάκη (Περσίς ap. Aristoph. Vesp. 1132.) itemque bracca ἀναξυρίς, et capitis tegumenta τιάρα, κυρβασία, κίδαρις, πῖλος l. VII, 58. 59., denique persica calceamenta ib. §. 92. (Hesych. et Suid. s. v. Περσικαί, Clem. Alex. Paed. II. c. 10. p. 205. c. Sylb. exempl. Lutet. a. 1629.) reperiuntur memorata, non item cinguli. Quae vero postrema Boettigeri ratio cernitur in mentione persicae zonae, quae adiuncto articulo ἡ περσικὴ ζώνη solebat dici, ea tam est aliena, ut virum sagacissimum, qui hoc non senserit, sanequam demirer. Namque τῇ περσικῇ ζώνῃ solam et unam omnium designari *persici regis zonam*, ipsa docent ab Boettigero excitata exempla Diodori XVII, 77. p. 220. Wess. (p. 550. in. Rhod.) et Plutarchi in Alex. c. 51. T. IV. p. 323. Hutt. Rationem suggerit Suidas s. v. Περσικός hanc: ὅτι τὰ πολυτελῆ, οἷς ὁ βασιλεὺς ἐχρῆτο, ἐκαλεῖτο περσικά.

Sed quamquam non plane abhorrebat, pertaesum tamen est huius disputationis propter Genellum institutae, in qua quoniam uti oportebat loco paullo longiore, ignoscendi venia mihi est petenda ad eius rei deprecationem. Quum autem relicuae personae viriles in hac fabula, dum virilem servabant speciem, communi virorum more, de quo locutus est Salmas. ad Hist. A. Scr. p. 332. ad fin., per medium corpus super ipsis coxis essent accinctae, Bacchus ut in universo cultu, ita quoque in cingulo eam potius videtur secutus esse consuetudinem, quam mulierum fuisse docemur ab Winckelm. de Art. Ant. Hist. I. p. 196. 197. lib. VI. c. I. §. 19., ut zonam infra ipsas axillas tanquam pectoris redimiculum gestaret. Nam ostendit hoc ipsa nominis μασχαλιστήρ origo, ducta ab μασχάλη *axilla*, id quod perspectum etiam est Genello, et confirmat vocabuli usus et significatio. Etenim sunt proprie μασχαλιστῆρες τὰ ὑπὸ τοὺς ὤμους τῶν ἵππων ἑλιττόμενα, declarante Polluce I, 147. et similiter Hesychio s. v., id est lora equorum pectoralia, λέπαδνα alias dicta, ut est apud scholiastam Arist. Equit. 765. et in Etym. M. p. 560. l. 38.

verbis *λέπαδνα οἱ κατὰ τῶν ἱππίων στηθῶν ἱμάντες, οἱ μασχαλιστῆρες*. Hinc proclivi translatione ab Aeschylo in Prom. v. 71. positum est de vinculo, quod circum latera iniicitur. Indidemque vocabulum facile in eius significationis consuetudinem venit, ut de cingulo valeret, uti est apud Herodot. I, 215. in descriptione habitus Massagetarum. Qui si hunc cingulum distinguit ab eo, qui est *ζωστήρ*, eo ipso pectoralem videtur significare velle. Et Pollux V, 150. plane in rem nostram testatur et mulierum fuisse *μασχαλιστῆρας*, eosque *περὶ στέρνοις* imponi solitos. Itaque haec cincturae ratio egregie concinit cum ea, quae eiusdem describitur dei ab Orpheo ap. Macrob. I, 18. ap. Gesner. Aposp. VII. versibus his:

> *εἶτα δ' ὕπερθε νεβρῆς χρύσεον ζωστῆρα βαλέσθαι,*
> *παμφονόωντα περὶξ στέρνων φορέειν, μέγα σῆμα,*
> *εὐθὺς ὅτ' ἐκ περάτων γαίης φαέθων ἀνορούσων*
> *χρυσείαις ἀκτῖσι βάλῃ ῥόον ὠκεανοῖο.*

Et si quam ex hoc mysteriorum usu facere licet in tragicum Bacchum coniecturam, is item aureo circumdatus erat cingulo admodum splendido, colorum praeterea varietate intexta, quo spectat *ἀνθεινός* illud. Nam de purpureo quodam cingulo, auro et gemmis distincto, quem novit Genellus, mihi nihil est compertum. Winckelmannum quidem memini Mon. Ined. II. p. 48. dicere haec, fasciam, qua Bacchus apud Statium vestem talarem cinxerit, fuisse purpuream; verum quem citavit ex Achill. l. II. versum 620., in eo ne verbum quidem de fascia est proditum, neque quantum recordor in tota Achilleïde. Apud Nonnum Dion. XIV, 165. ss. Bacchus in muliebrem modum duplici cingulo est redimitus, uno pectorali, strophio, altero laterali, eoque purpureo. Verba sunt haec:

> *μεσσατίῳ δὲ*
> *στήθεϊ δεσμὸν ἔβαλλε, καὶ ὄρθιον ἄντυγα μαζοῦ*
> *παρθενίῳ ζωστῆρι, καὶ οἷά περ ἅμμα κορείης,*
> *πορφυρέην λαγόνεσσι συνήρμοσε κυκλάδα μίτρην.*

Quoniam in superioribus de *pallio* meminimus, videndum est, an tali quoque ornatus fuerit Bacchus. Apud

Athenaeum quidem praeter illa duo vestimenta etiam περιεβέβλητο ἱμάτιον πορφυροῦν χρυσοποίκιλον. Neque raro purpureum amiculum in hoc deo afferunt scriptores, ut Orpheus l. c. versibus his:

πρῶτα μὲν ἀργυρέαις ἐναλίγκιον ἀκτίνεσσιν
πέπλον φοινίκεον πυρὶ εἴκελον ἀμφιβαλέσθαι.

Eundem in modum coloratus erat peplus Bacchi in statua apud Rheginum quendam collocata, in quam conditum est Procli Lycii epigr. V. in Anal. II, 446. Apud Nonnum XLV, 126. Dionysus

χροῒ δύσατο πέπλα φαάντερα κυκλάδος Ἠοῦς,
ἄρτι χαρασσομένης, Τυρίῃ πεπαλαγμένα κόχλῳ.

Quid, quod in palliis, quibus fere amicti procedebant histriones tragici, Pollux recenset unum purpureum, quod φοινικίς appellat IV, 116. Quo etiam spectare puto illud, quod in epigrammate quodam in Sophoclem scripto, Anal. I, 501., ipse Bacchus, si vera est, ut videtur, Salmasii coniectura, loquitur sic:

ὅς με τὸν ἐκ Φλιοῦντος ἔτι τρίβολον πατέοντα,
πρίνινον, εἰς χρύσεον σχῆμα μεθηρμόσατο,
καὶ λεπτὴν ἐνέδυσεν ἁλουργίδα.

Quamquam hoc de splendido ac purpureo histrionum habitu in universum magis dictum videtur, quam de singulari Bacchi vestitu. Verumtamen de pallii amiculo dubitare aliquantisper licet in Euripidea scena, quippe quae adeo sit bacchica, ut deesse non debuerint ea, quae fere necessitatis vinculo coniuncta sunt cum illa religione. Ex quo genere quoniam est pellis hinnuli, νεβρίς, ad quam revertetur infra oratio, eandem debebat deus habere, qui earum caerimoniarum et auctor ferebatur et antistes. Quare suspicio est nostra cum veritate sanequam congrua, pallii instar eum fuisse *nebride* amictum, pariter ac Cadmum, Tiresiam et Bacchas. Item propter religionis necessitatem *thyrsum* manu tenere solebat cum universe in tragoedia, uti comprobat Pollux testimonio supra allato, tum vero maxime in hac fabula, in qua thyrsum satis produnt

vv. 551—554. 557. Sed vide, quae in hanc partem plenius disputata sunt infra.

Quod ad extremum de calceamento restat monere, nunc quidem unusquisque novit tralaticia illa de *cothurno tragico.* Atque is tam erat conveniens personae Bacchi, ut calceamentum eius sit non solum in scena, sed multis etiam simulacris et statuis, id quod multifariam a viris doctis observatum est. Quo ex genere signum est, cuius mentionem iniicit Pausanias l. VIII, 31, 4. Sed quoniam admonemur iis, quae annotata sunt Winckelmanno de A. A. Hist. I. p. 210. l. VI. c. II. §. 6. et Genello p. 86., facili negotio nobis persuadetur illud, non omnium personarum cothurnis aequalem altitudinem, sed minorem aliis, aliis maiorem fuisse. Etenim et docet rationum diversarum vel levissima contemplatio, et demonstrari potest firmissimis testimoniis. Nam primum Cicero de Fin. III, 14., iam a Winckelmanno usurpatus, manifesto de maioribus et minoribus cothurnis loquitur; tum vero duae accurate traduntur calceamentorum tragicorum species Pollucis IV, 115. verbis his: *τὰ ὑποδήματα κόθορνοι μὲν τὰ τραγικὰ καὶ ἐμβάδες.* Nam altera illa species, *ἐμβάδες, εὐτελὲς μὲν ὑπόδημα, Θρᾳκῶν δὲ τὸ εὕρημα, τὴν δὲ ἰδέαν κοθόρνοις ταπεινοῖς ἔοικε,* ut scribit idem VII, 85. Quo factum est, ut hoc nomen pro ipsis cothurnis nonnunquam poneretur, praecipue a Luciano, cuius exempla duo enotata reperies a Spanhem. ad Aristoph. Plut. 759., unum subiunxi ego infra deinceps. Quapropter in eandem partem in Luciani Jove Tragoed. T. VI. p. 273. Bip. *τοὺς ἐμβάτας* mutandas coniicio in *τὰς ἐμβάδας.* Idem vocabulum Jacobsius acute perspexit restituendum esse in versu postremo epigrammatis, quod in Euripidis mortem fecit Addaeus, Anthol. Palat. T. I. p. 311., quamquam cetera non aeque feliciter sunt tentata. Nam caussa mihi quidem liquet nulla, cur *τὰ Βάκχου εἵματα* damnarit Jacobsius tum in hoc exemplari, tum in animadvv. ad Anal. Brunck. Vol. II. P. II. p. 237.; intelligo enim

histrionum tragicorum habitum; sententiam autem coniecturae σκηνὰς ἐμβάδι πειθομένας non exputo. Itaque vestigia secutus pristinae librorum scripturae, quae est ἔμβαλε πειθομένας, totum distichon conieci antiquitus fuisse hoc:

σὸν δ᾽ οὐ τοῦτον ἐγὼ τίθεμαι τάφον, ἀλλὰ τὰ Βάκχου
εἵματα καὶ σκηνᾶς ἐμβάδε παυομένας.

id est: *vestitum in tragoedia usitatum et geminos cothurnos scenae nunc silentis*, propter mortem videlicet tuam. Sed haec quasi praeteriens adiunxi. Consideratis autem iis, quae modo de duplici cothurno disputavi, facile constabit de personis, quae non usae sint maioribus calceis. Quippe nunciorum et servorum humilitatem consentaneum est non decuisse cothurnorum altiorum granditatem; secundum Genellum ne demissioribus quidem illis ἐμβάσι sed simplicibus soccis erant induti, id quod in medio nunc relinquo. Sed sollerter ab eodem scriptore est observatum, chori actores propter motuum et orbium saltatoriorum celeritatem non posse altioribus usos esse cothurnis. Cui coniecturae probabilitas accedit iis, quae de saltatoribus mimicis a Luciano perscripta sunt in libello de Saltat. p. 140. 141. Bp. Ibi enim cum in actoris tragici talis, qui personam aliquam induit primariam, habitu indecoro ac paene terribili praeter alia invenusta notentur etiam ὑψηλαὶ ἐμβάδες, apertum est, si e contrario verbis deinceps sequentibus, τὸ δὲ τοῦ ὀρχηστοῦ σχῆμα ὡς μὲν κόσμιον καὶ εὐπρεπὲς, οὐκ ἐμὲ χρὴ λέγειν, laudatur saltatoris habitus, maioris decoris aliquam etiam partem contineri in humilioribus calceis. Itaque videbuntur cum istiusmodi ἐμβάσι prodiisse chori saltatores vel saltatrices. Id videlicet in universum de choris tragicis valet: de Euripideo Baccharum choro videndum suo loco est. Quoniam vero minores in hac fabula sunt partes Tiresiae et Cadmi, quam Bacchi et Penthei, eosdem colligere licet demissioribus calceis indutos processisse. Ac si pari ratione illud est concedendum, fuisse cothurnos in diversis personis

colore et splendore diversos, Dionysum est consectarium fuisse longe splendidissime calceatum. De colore autem quoniam meminimus, de eo maior deintegro est Genelli scientia quam mea, siquidem is cothurnos tragicos tradi scribit universe quidem albos, Bacchi autem purpureos, phoeniceos denique hominum militarium. Bacchum quidem scio apud Lucian. Tom. VII. p. 304. aureo cothurno indutum, *ἐμβάδι χρυσῇ*, idemque significatum perspicio in Dial. Deor. II. T. II. p. 5. verbis: *ὑποδέου χρυσίδας*, albitudinem autem pugnare intelligo contra *pictum Tragoediae cothurnum*, quod de colorum varietate interpretor, apud Ovid. Amor. III, 1, 31.

Haec de Baccho scenico dicta sunto, qui simillimus est illi in marmore expresso apud Viscont. Mus. Pioclem. Tom. VII. tab. 2., deo imberbi ac florentissima iuventute insigni, admodum formoso, tunica talari induto, hedera coronato, denique saltantis speciem prae se ferenti, quemadmodum etiam *σκιρτητής* vocatur ab Orpheo h. XLV, conferente Viscontio ibid. p. 10. Nec minus accommodatam comparationem habet illa effigies in Mus. Capitol. IV, 63., quam cum priore contendit Viscontius, descripsit Zoëgae verbis Welckerus in Append. ad Trilog. Aesch. p. 110. Postremo non iniucundum est cognosse Libanii locum, in Tim. se ipsum deferente p. 189. IV. Reisk., quo Alcibiades Bacchi similis describitur sic: *Διόνυσός τις οὗτος ἐκ Θηβῶν εἰς τὴν Ἀττικὴν κωμάζει, πλεῖστα φέρων τῆς θείας φύσεως γνωρίσματα καὶ τῆς πρὸς τὸν θεὸν ὁμοιότητος· κόμαι μὲν αὐτῷ τοῖς κροτάφοις ἐπισείονται βακχικαὶ, τοῖς στεφάνοις ἤδη καὶ τοῖς ἄνθεσι πρὸς κόσμον ἀνθοῦσαι, ὀφθαλμοὶ δὲ ἀφιᾶσι βολὰς ταῖς ἡλίου μαρμαρυγαῖς ἁμιλλώμενοι, μεγάλαυχον ἤδη καὶ γαῦρον καὶ προσηνὲς ὁρῶντες· καταλάμπονται δὲ παρειαὶ ταῖς γλήναις αὐτῷ· τὸ δ' ἐρύθημα τοῦ προσώπου τῷ τῶν λαμπάδων ἀντιστράπτει πυρί· γέλως δὲ τοῖς χείλεσιν ἐπανθεῖ· χορεύει δὲ ἴσα τῷ θεῷ, διάδετος μὲν ταινίαις καὶ τοῖς στεφάνοις τὰς κόμας, ποδήρει καὶ*

ἀστράπτων χιτῶνι, καὶ καταπάστοις ἁλουργήμασιν ἐμπρέπων.

# Caput IV.

## De Penthei persona et habitu.

Ad *Pentheum* nunc veniamus. Nam is, quoniam φόνιος ὥστε γίγας ἀντίπαλος θεοῖς, ut est v. 544, audax et temerarium consilium bellandi cum deo suscepit, ideoque fatum expertus est tristissimum pariter ac turpissimum, praecipuas in fabula partes habet. Quapropter sapienter institutum est a poëta, quod Thebarum tyrannus exercet imperium nullis finibus circumscriptum. Etenim Cadmus ipse tradiderat regnum, γέρας τε καὶ τυραννίδα (v. 43. 213.) ei, qui esset nepos ex Agaua filia Echioni Sparto natus. Notam hanc originem, ut hoc breviter perstringam, identidem memoratam invenies, quemadmodum v. 263. 1013. 1029.; nec dissentiunt alii scriptores, Apollodorus III, 5. Pausanias IX, 5. scholiasta ad Eurip. Phoen. 941. 948., et ubi est totius Cadmeae gentis stemma, 949. biq. Valcken. Tetigit rem Philippus epigr. XXXI. in Anal. II. p. 220. Eandem autem regis personam induit apud Nonnum, et Apollodorus l. c. paene videri potest mutuatus esse sua ab Euripide. Sed discrepat Pausanias, qui postquam §. 3. cum maiore veri specie Cadmo succedentem fecit Polydorum filium, de Pentheo deinceps subiungit haec: Πενθεὺς δὲ ὁ Ἐχίονος ἴσχυε μὲν καὶ αὐτὸς κατὰ γένους ἀξίωμα καὶ φιλίᾳ τοῦ βασιλέως. Idem diversus est eo, quod Cadmi in Illyriam discessum ante fatales Penthei exitus ponit, ceteris contrarium scribentibus.

Apud Euripidem quoniam est rex Pentheus, plane ut rex agit. Itaque imperare tyrannice, quemlibet coniicere in vincula, iubere exercitum, gubernare omnia nutu et arbitrio suo, postremo totus esse moribus regiis. Omnino Euripides, qua callet arte describere suos cuique mores

accommodatissimo genere, Penthei indolem plane effinxit egregie et talem, cui nihil admodum deesse videatur ad eminentem imaginem superbiae et deorum contemptus. Quippe propter ipsam et morum descriptionem et agendi rationem spectatorum aut lectorum mentibus terror excutitur, ne secus accidat eventus. Est enim nimium ferox vehemensque natura et facilis ad animi impetum incitatio, id quod satis enucleate declaratum est v. 669. 670. nuntii verbis his:

*τὸ γὰρ τάχος σου τῶν φρενῶν δέδοικ᾽, ἄναξ,*
*καὶ τοὐξύθυμον καὶ τὸ βασιλικὸν λίαν.*

Quo etiam fit, ut paullo acrius effervescat in Cadmum (v. 250. sq. 345. sqq.) quam et aetatis patitur ratio et pietatis. Praeterea ingenii vi elatus, *μέγα πνέων* v. 640., iuvenili ubique fertur studio et ardore, homo in omnibus consiliis calidior et iampridem ad poenam exitumque praeceps. Quam in partem spectant chori verba v. 385.

*Ἀχαλίνων στομάτων*
*ἀνόμου δ᾽ ἀφροσύνας*
*τὸ τέλος δυστυχία.*

et quae Tiresias ei exprobrat v. 266—270. Quamque deinde concipit mentis insaniam, ea si videbitur paullo inconvenientius in ludibrium verti, videndum est, ne apta sit ex hac morum descriptione. Eam vero indolem apprime congruere cum iuvenili aetate, nemo non intelligit. Ac debebat ea aetas vel propter rationem adhiberi, quae cum Agaua et Cadmo illi intercessit. Itaque compellatur a Tiresia v. 274. *ὦ νεανία.* Et Agauae super eo v. 1174. verba sunt: *ἔμαρψα τόνδε νέον λῖν, ὡς ὁρᾶν πάρα.* Sed quoniam locum, in quo maxime nitatur necesse est iudicium de vultu personae, controversum esse video, dico autem vv. 1183—1185., circumspicienda primum sunt aliorum de hac re testimonia. In monumentis quidem antiquis, teste Welckero ad Philostrati Imagg. p. 315. med., Pentheus constanter expressus est iuvenis imberbis. Quam-

quam in hac caussa aegre fero tabulam apud Guil. Humboldtium collocatam, in cuius altera parte Agaua est efficta Penthei caput manibus tenens, non esse explicatam sed memoratam tantummodo ab eodem Welckero in nota ad Zoëg. Marm. Ant. Rom. p. 165. Cum his autem plane conspirat, qui Imagine VIII. l. I. se fere totum composuit ad Euripidis exemplum, Philostratus describendi genere hoc: *Πρόκειται καὶ ἡ κεφαλὴ τοῦ Πενθέως, οὐκέτ' ἀμφίβολος, ἀλλ' οἵα καὶ Διονύσῳ ἐλεεῖν, νεωτάτη καὶ ἁπαλὴ τὴν γένυν, καὶ πυρσὴ τὰς κόμας.* Paullum ab eo discedit item Euripidis sectator fidelissimus, Nonnus lanuginem significans, cum Pentheum l. XLVI, 201. fingit sic ad matrem loquentem:

> *δέρκεο ταῦτα γένεια νεότριχα, δέρκεο μορφὴν ἀνδρομένην κ. τ. λ.*

Jam vero quoniam non dubito, quin Euripidei illius exempli memoriam uterque sit secutus, vel unam hanc ob caussam, quia contra Philostratum pugnat, concidit vulgatae scripturae explicatio ab Heathio proposita et ab Elmsleio p. 144. ex. Lips. probata haec: *Juvenilis hic catulus sub verticem delicate capillatum genam modo pilosam emittit.* Quum autem qua praeterea intelligi deberent verba a libris tradita, ratio pateret nulla, et tamen coniectura esset excogitanda, quae utrique conveniret imitatori, optime hoc consecuti nobis videbamur correctione, de qua alius alio tempore erit locus plenius exponendi. Est haec:

> *νέος ὁ μόσχος ἀμ —*
> *φὶ γέννν, ὑπὸ κόρυθ' ἁπαλότριχα*
> *κατάκομον, θάλλει.*

Etenim quum iam in duplicem partem possent accipi verba: *νέος ὁ μόσχος ἀμφὶ γέννν θάλλει,* ut aut de primae lanuginis flore cogitaretur, aut tam iuvenilis significatus esset genarum flos, qui abhorreret a barbata specie, illud ascivit Nonnus, Philostratus contra posterius. Cum Nonno sensisse videtur Attius, si recte suspicamur Euri-

pideorum imitationem esse versum eius hunc ex Bacch. Fragm. VII. p. 188. Both.

*Lanugo flora nunc genas demum irrigat.*

Utra vero ratio in persona fuerit expressa, etsi dubius sum, tantum tamen perspicio, repraesentatum esse Pentheum in scena *facie admodum iuvenili, genis, si qua esset lanugo, non adeo pilosis, densa quidem*, ut est in Tragoediae persona ap. Ovid. Amor. III, 1, 32., *sed molli caesarie* (*ἁπαλόθριξ, κατάκομος*), *flava forsitan*, si Philostrato est fides habenda. Sed quoniam morum index solet haberi vultus, eum consentaneum est cum indole fuisse adaequatum. Quocirca effictum fere coniicio imperiosiorem quendam mentis ardorem, sed illum, uti par erat, cum dignitatis specie apte compositum. Apud Pollucem inter iuvenum personas l. IV. §. 136. hae afferuntur duae: *ὁ δὲ οὖλος, ξάνθὸς, ὑπέρογκος, αἱ τρίχες τῷ ὄγκῳ προςπεπήγασιν, ὀφρύες ἀνατέτανται, βλοσυρὸς τὸ εἶδος· ὁ δὲ πάρουλος τἄλλα ἐοικὼς τῷ πρὸ αὐτοῦ μᾶλλον νεανίζει.* Ad earum fere similitudinem credo accessisse Penthei faciem, sed ita temperata tota ratione, ut quae in illis nimia sunt, ad decoram quandam mediocritatem fuerint attenuata. Nam an prorsus *οὖλος* fuerit dubito, *crispiores cincinnos* licet concedere. Minime autem omnium *βλοσυρὸν τὸ εἶδος* agnosco, neque tamen *φαιδρὸν* fuisse scio, quae est pars personae eius, qua tenerum iuvenem, *ἁπαλόν*, repraesentatum esse scribit Pollux; sed utramque speciem dignum in modum mistam suspicor. Similiter de relicuis statuendum. Ceterum *ὄγκος* quid sit, post Pollucem IV, 133. explanarunt Cuperus Apotheos. Hom. p. 82. et Winckelmannus Monim. Ined. II. p. 100. Brunn. P. IV. c. IX. fig. 189. Varro apud Nonium citante Cupero: *Item tragici prodeunt capite gibbero, cum antiqua lege ad frontem superficies accederet.*

Decebat autem Pentheum ut tyrannum ornatus regalis. Regia insignia habentur fere *sceptrum*, *diadema* et *pur-*

*pura*. Quare maxime cadere in eum videntur. Atque de Polluce si quaeritur, quoniam penes hunc est tragici apparatus plenissima recensio, *sceptrum* quidem affertur l. IV. §. 217. Nec ulla dubitatio esse potest de re, cuius veritas apprime stabilitur perspicuo Demosthenis testimonio, quod in orat. de Fals. Leg. p. 418. Reisk. proditum est in hunc modum: *Ἴστε γὰρ δήπου τοῦθ', ὅτι ἐν ἅπασι τοῖς δράμασι τοῖς τραγικοῖς ἐξαιρετόν ἐστιν ὥσπερ γέρας τοῖς τριταγωνισταῖς τὸ τοὺς τυράννους καὶ τὰ σκῆπτρα ἔχοντας εἰσιέναι.* Quocirca apud Ovidium in Amor. III, 1, 13., quae fingitur venisse personata Tragoedia, eius

*laeva manus sceptrum late regale movebat,*

eaque deintegro inculcatur memoria v. 63. Mutuatus sum horum exemplorum commemorationem a Winckelm. Mon. Ined. II, 108. Nec raro sceptri iniicitur mentio in tragoediis, ita maxime, ut eo significetur universe regia potestas. Velut est ap. Eurip. Iphig. Aul. 412. de Agamemnone, in Sophocl. Electr. 420., itemque, ni fallor, in Aiace. Ceterum quoniam in Demosthenei illius dicti mentionem incidimus, quae illic scripta exstant de tertiarum actore, ea aliquantisper licet in controversiam vocare, an referri etiam debeant ad Pentheum. Neque una est ratio. Etenim tametsi omnia simul complectitur Demosthenes dramata tragica, tamen in hac fabula considerandum est diligenter, praecipuam esse Penthei huius personam et eam, in qua non sane parum versetur momenti. Omnium vero minime cadit in Penthei partes, quae traditur huius instituti caussa ab rerum scenicarum scriptore apud Ulpianum, quem *Asclepiadem* fuisse in *Tragoedumenis* suspicatur Valcken. Diatr. p. 182., quandoquidem ille in Tayloris ad Dem. l. c. annotatione *διὰ τοῦτο*, ait, *τοῖς τριταγωνισταῖς τὰς ὑποκρίσεις τῶν δυναστευόντων παρέχεσθαι, ἐπειδὴ ἧττόν ἐστι παθητικὰ καὶ ὑπέρογκα.* Immo vero ad summam non raro escendunt gravitatem granditatemque, quae Penthei actori partes sunt impositae, neque exiguam laudem credibile est in eius persona probe sustinenda fuisse

positam. Et si primarum actorem eius ponimus egisse partes, illum autem, qui est secundarum, Dionysi, tertiarum denique Cadmi, omnia perspicies optime convenire. Nam qui Tiresiam agit, rursus est secundus, nuntiorum autem et servi personae sustinentur ab infimae conditionis histrione, in Penthei denique partes succedit Agaua ab eodem principe gesta. Sed haec hactenus.

Verum quo nunc est perventum, *diadema* quoniam non est consignatum a Polluce, nisi ea significatione accipienda est *μίτρα* §. 116., potest hoc in alicuius incurrere offensionem. At commode offertur apud Valckenarium in Diatr. p. 182., quod firmamentum nostrae caussae addit, Plutarchi tetimonium ex Praecept. Polit. p. 816. f. petitum hoc: *Τὸν μὲν ἐν τραγῳδίᾳ πρωταγωνιστὴν, Θεόδωρον ἢ Πῶλον ὄντα, μισθωτῷ τῷ τὰ τρίτα λέγοντι πολλάκις ἕπεσθαι καὶ προςδιαλέγεσθαι ταπεινῶς, ἂν ἐκεῖνος ἔχῃ τὸ διάδημα καὶ τὸ σκῆπτρον.* Neque enim suspecta esse debet Plutarchi auctoritas iccirco, quod, cum his aperte referat Demostheneorum illorum memoriam, existimari possit diadema de suo adiecisse, non quo quid revera factum esset testaretur, sed quoniam ita ferret vulgaris hominum opinio de eius in rege necessitate. Nam videndum est, ne propter ipsam illam pervagatam opinionem non debuerit hoc regale ornamentum in scena omitti. Putabatur enim regii honoris quaedam in eo contineri nota et certissimum signum, plane ut in sceptro. Itaque Hesychius, *διάδημα*, inquit, *στέμμα βασιλέως, κεφαλῶν κόσμος ἤγουν στέφανος, ἤγουν βασιλέως σύμβολον*, et de sceptro: *σκῆπτρον τὸ βασιλικὸν σύμβολον.* Hinc omnino capitis tale redimiculum habitum est insignis et praecipui cuiusdam honoris documentum, id quod apud Cuperum Observatt. I, 6. p. 35. Festus confirmat verbis his: *Taenias Graecorum vocem sic interpretatur Verrius, ut dicat ornamentum esse laneum capitis honorati.* Quippe hanc in speciem religabatur apud Graecos eorum caput, qui victoriam reportarant, ut apud Pausan. VI, 20, 19.

Victoria ipsa narratur efficta esse taeniam impositura Pelopi recens victori. Ibid. IX, 21, 3. Corinna scribitur coronata taenia propter victoriam de Pindaro reportatam. Itemque propter victoriam Aristomeni taeniae iniectae perhibentur l. IV, 16, 6. Quid quaeris? Si hic honos in deorum statuis adhibitus est ad decus et ornamentum, Graeci profecto non potuerunt alienum iudicare a suis regibus. Nec iudicarunt. Nam eundem honorem constat cum regio nomine ascivisse posteriores Graecorum principes, quemadmodum ornatus comparet Demetrius ap. Aelian. V. H. XII, 7. Omnis autem controversia, si qua fuerit, dirimitur eo, quod apud Winckelmannum Mon. Ined. fig. 103. Oedipus diademate est redimitus, qua et ipsa Winckelmannus in explicatione, Tom. II. p. 25., scribit cognosci regiam potestatem.

Denique quod tertium existimatur regiae potestatis insigne, *purpuram*, ab Cicerone in or. pro Scauro *regalem* hinc vocatam, Genellus quidem p. 93. scit regibus aeque ac Jovi fuisse assignatam, rubore duntaxat nigricante et coccineo, neque tamen ultra sapit. Eiusmodi quid generaliter professus est Horatius apud Cuperum Apoth. Hom. p. 81.

*nam quicunque deus, quicunque adhibebitur heros,*
*regali conspectus in auro nuper et ostro,*
*migret in obscuras humili sermone tabernas.*

Verumtamen accurate conscripta sunt quaedam testimonia de vestimento regum scenicorum, quod nominatur *ξυστίς* vel *ξύστις.* Etenim scholiasta ad Aristoph. Nub. 70. *χρῶνται δὲ αὐτῷ*, inquit, *καὶ οἱ τραγικοὶ βασιλεῖς*, iisdemque Suidas utitur verbis, apud quem quattuor exstant de hoc vocabulo glossae. Neque in diversam partem videtur interpretandum esse aliud scholium ibidem repertum, *ᾧ καὶ οἱ βασιλεῖς χρῶνται;* nisi librariorum culpa intercidit *τραγικοί* vocabulum. Idem grammaticus nomen *ξυστίς* graviter quoque pronunciatum esse scribit, et Suida quidem et scholiasta ad Theocr. II, 76. auctoribus, in attico sermone. Omnino autem ut tragoediae quoddam vestimen-

tum xystis multifariam est testata. Nam primum Pollux in tragici apparatus partibus §. 116. numerat, tum Suidas et Lexici Rhetor. auctor ap. Ruhnken. ad Tim. p. 188. consentiente ore, *ἰδίως δὲ*, aiunt, *τὸ τῶν τραγῳδῶν ἔνδυμα.* Item Harpocratio et Photius s. v. *ἔστι μὲν καὶ τραγικόν τι ἔνδυμα οὕτω καλούμενον, ὡς Κρατῖνος ἐν Ὥραις.* Postremo cum scholiasta ad Theocr. Hesychius *ἔνδυμα τραγικόν* appellant. An idem fuerit comicae scenae indumentum, ut scribunt Timaeus l. c., Hesychius in *ξυστίδες*, in medio nunc relinquo; si fuerit, certe eo comoedia non secuta est proprium quendam suum usum, sed ubi opus esset, de communi vitae consuetudine ascivit, ad consectandam similitudinem eorum, quae ante oculos posita essent vulgo. Namque huiusmodi vestibus mulieres uti consuevisse ferunt Suidas, Photius, Hesychius, nec praetermisit in illa mundi muliebris enarratione Aristophanes ap. Clem. Alex. Paed. II. 90. s. fin. Sylb. et ap. Polluc. VII, 96. Memoratur item Lysistr. 1193. Praeterea a viris eius generis vestimenta adhibita sunt ad pompam, ut est ap. Hesych. in *Ἱππικὸν χλῖδος*, et multo etiam accuratius ap. schol. ad Nub. sic: *καὶ μέχρι νῦν οἱ εἰςελαύνοντες ἀθληταὶ* (vel *ἡνίοχοι*, ut habet cum Suida alter scholiasta) *τοιούτῳ κοσμηθέντες σχήματι καὶ ἅρματος ἐπιβάντες διὰ μέσης πομπεύουσι τῆς πόλεως.*

Verum iam video in duplicem partem praeberi quaerendi locum. Nam quoniam Pollux VII, 49. *ξυστίδα* tradit fuisse *ἔνδυμά τε ὁμοῦ καὶ περίβλημα καὶ χιτῶνα*, primum quam tragicorum regum xystis prae se tulerit speciem, est examinandum. Hic autem recordari oportet illud, quod communem personarum tragicorum tunicam fuisse *ποικίλον* demonstravimus in superioribus. Abs qua quum diligenter discernat Pollux xystidem, inter *ἐπιβλήματα* recensens, accedit etiam illud, quod ubi de tunica xystide meminerunt grammatici, mulierum adiungere mentionem nunquàm omiserunt. Ita Suidas, *χιτὼν ποδήρης γυναικεῖος*, nec discrepant scholiasta Theocriti et Hesychius.

Quamquam cum Harpocratione Photius dixerunt γυναικεῖον ἔνδυμα. Sed latius patet vocabuli ἔνδυμα significatio, ut de quovis vestium genere usurpetur. Quare habetur item ἔνδυμα τραγικόν. Suidas autem bis ἱμάτιον dixit, similiterque in Etym. M. p. 612. l. 22. scriptum est, εἶδος σκεύους ἢ ἱματίου. Quamquam ἱμάτιον quoque interdum est de quovis vestimento. Sed si his commovemur, ut mulierum quidem xystidem fuisse tunicam colligamus, vel ἔνδυμα, quod vocatur significatu arctiore, virorum autem et universe, et maxime regum scenicorum pallium, postrema sententia stabilitur iis, quae leguntur apud Suidam pariter atque in Lexico Rhetorico: τραγικὸν ἔνδυμα ἐσκευοποιημένον καὶ ἔχον ἐπιπόρπημα. Nam cum vocabulo extremo fibulae, πόρπης vel περόνης, (v. Suid. et Hesych. s. v. Poll. VII, 54. 96.) afferatur mentio, qua pallii laciniae constringebantur super alterutro humero, tum vero Hesychius eam ipsam in partem explicavit vocem, ἐπιπόρπωμα (corrigo ἐπιπόρπημα vel ἐπιπόρπαμα) scribens τὸ ἐπάνω τῆς πόρπης. καὶ νῦν ἱππέων ἡ τὰς χλαμύδας συνέχουσα πόρπη, ἐπειδὴ τῆς πόλεως. Verba extrema mutila secundum Aristophanis scholiastam ad Nub. s. c. restituo in hunc modum: Ἐπεὶ διὰ τῆς πόλεως ἐπόμπευον vel πομπεύουσιν. Etsi autem de illo, quod est ἐπιπόρπημα, paullo secus videtur esse statuendum, tamen quoniam Hesychius τὰς τῶν ἱππέων χλαμύδας posuit, manifesto iniicitur cogitatio de pallio, et de ipso quidem eo pallio, quam aurigarum in pompis xystidem esse paullo ante docuimus. Ἐπιπόρπημα vero Etymolog. M. p. 363, 20. tradit esse τὸ ἐπὶ τῇ πόρπῃ προκόμισμα λίθινον ἢ χρυσοῦν. Quapropter Hemsterhusius ad Polluc. X, 190., qui non sine veri specie pro προκόμισμα correxit προκόσμημα, coniecit esse *fibulae ipsius quoddam ornamentum, uti gemmam fibulae insertam vel tale quid*, diversum idem existimans hoc ἐπιπόρπημα ab citharoedi, quod ibi a Polluce et ab Eustath. ad Il. μ. p. 866. memoratur. De citharoedo quidem quae-

rere nunc nihil attinet. Tragicae autem xystidis *ἐπιπόρπημα* in sententiam explico paullo diversam. Est enim apud Athen. XII, 535. e. Duridis ex historiis dictum hoc: *ὁ δὲ Σικελίας τύραννος Διονύσιος ξυστίδα καὶ χρυσοῦν στέφανον ἐπὶ περόνῃ μετελάμβανε τραγικόν.* Quae verba ubi comparaveris cum Hesychii *τὸ ἐπάνω τῆς πόρπης*, xystidem facile constabit habuisse in ora suprema iuxta fibulam auream quandam virgam tanquam corymbium assutam, quam, quoniam esset coronae instar, *στέφανον* vocavit Duris, additamento *ἐπὶ περόνῃ* non obscure innuens vulgare nomen *ἐπιπόρπημα.* Ad cuius epiporpematis similitudinem accessisse suspicor *patagium*, quod Festus s. v. scribit *ad summam tunicam assui solitum.*

His ita constitutis si pallium iam nequit amplius esse controversum, Winckelmannum licet emendare caussa hac, quod xystidem esse actorum tunicam talarem narravit in Mon. Ined. II, 108. Contra Boettigerus de Fur. Pers. p. 140. sq. cum universe de brevioribus quibusdam interpretatur amiculis tragicis, tum praecipue valere ait de purpureo saltatorum choricorum vestitu. Neque infitias ire licet, a scriptoribus nonnullis nomen promiscue de quolibet tragicorum amiculorum genere, maxime de purpureis, acceptum esse, uti a Suida *τῶν τραγῳδῶν ἔνδυμα* vocatum ex superioribus recordabere, et apud Boettigerum Plutarchus *ξυστίδας ἀλουργάς* memorans non sane videtur admodum distincte locutus esse. Attamen proprie ad regalem pertinet ornatum, verendumque forsitan sit, ne quis error in illa de saltatoribus opinione Boettigero propter Plutarchi verba sit obiectus.

Alterum, de quo quaerendum monui, restat hoc, ut de colore, deque relicua xystidis specie videamus. Ac fuisse subtile quoddam ac tenue vestimentum, ipsa docet vocabuli origo, siquidem *ξύεσθαι* est *radendo vel scabendo laevigare ac polire.* Quare apud Suidam et Hesychium simpliciter est *τὸ λεπτὸν παρὰ τὸ ξύεσθαι,* et luculentius *τὸ λεπτὸν ὕφασμα.* Itaque subtilitas inpri-

mis ad politum texendi genus spectat. Et affabre factam vestem produnt Timaei haec: *ἀπὸ τοῦ ἐξύσθαι καὶ εἰργᾶσθαι ἐπιμελῶς.* In colore differunt scriptores. Nam unus quidem scholiastarum Aristophanis: *ξυστίδα ἢ πορφυρίδα,* itemque scholiasta Brunckii, *εἶδος ἱματίου πορφυροῦ,* et Plutarchi modo usurpavimus *ξυστίδας ἁλουργάς.* Sed alterius 'scholiastae est glossa, *ξυστὶς λέγεται τὸ κροκωτὸν ἱμάτιον.* Verum qui est in regibus purpurae constans usus, ambigi non patitur de hoc tragicae xystidis colore. Et quoniam duplex erat purpurae species, tum violacea, *ἰανθίνη,* tum rubicunda, (Winckelm. Art. A. Hist. l. VI. c. I. §. 6. P. I. p. 193.) de postrema ad regium ornatum adhibita propter splendoris praestantiam uterque non dubitamus, nec ego nec Genellus. Sed in quam hic incurrimus Harpocrationis descriptionem, ut fuerit xystis *γυναικεῖόν τι ἔνδυμα πεποικιλμένον,* videtur illa quidem Ez. Spanhemio ansam praebuisse ad Nub. v. c. annotandi haec, xystidem fuisse *levem ac versicolorem tragicorum ac comicorum vestem, eamque ferme deauratam, seu cum aureis lembis, qua vulgo amicti essent in tragoedia reges.* At diversa in his sunt in unum confusa. Nempe errorum fons est neglectum *γυναικεῖον* vocabulum. Verum ut disparum colorum varietas ad muliebrem usum referenda sit, deauratam tamen speciem in tragicae xystidis magnificentia non valde impugno. Habet enim Pollux *ξυστίδας χρυσίδας,* et Platonis apud Ruhnkenium l. c. perscriptum est ex Polit. p. 445. d. dictum hoc: *ἐπιστάμεθα γὰρ καὶ τοὺς γεωργοὺς ξυστίδας ἀμφιέσαντες, καὶ χρυσὸν περιθέντες, πρὸς ἡδονὴν ἐργάζεσθαι κελεύειν τὴν γῆν.* Quae certe deauratas xystidas non a vulgari consuetudine abhorruisse testantur. Ceterum Ruhnkenius de eadem veste locutos memorat Hemsterhusium et Toupium; tetigit rem, Aristophanis illo versu usurpato, Casaubonus ad Theophr. Char. c. XXI. p. 331.

Ergo primum Pentheus ut vir tyrannus in scenam

inductus cum tunica variegata, pallio amictus purpureo, regia fascia redimitus et sceptrum denique manu tenens, a versu 816. deinceps concepta mentis insania muliebrem Maenadis Bacchae induerat speciem, ut est v. 913. Itaque tum *βυσσίνους πέπλους* adhibuit, de quo genere valde discrepant sententiae. Etenim plurimi quidem consentiunt esse byssum linum quoddam tenuissimum ac pretiosissimum, apud Indos, Hebraeos et Eleos natum, ut testatur Pausan. V, 5, 2. VI, 26, 6. Plin. Hist. N. XIX, 1. Poll. VII, 75. Alii cum erioxylo vel lana arborea idem esse statuunt, ut Philostratus v. Apoll. II, 20. p. 71. et Pollux l. c., qui ipse, quid sentiendum sit, dubius haesitat. Lexicographi denique, Hesychius s. v. *βύσσινον*, auctor Etym. M. p. 217, 20., de colore quodam intelligunt, et ille quidem de purpureo. Ceterum vide interpretes ad scriptores citatos et Barnes. ad Eur. Bacch. 819., praeter ceteros autem J. H. Vossium ad Virgil. Georg. II, 120. Sed utut haec sunt, hoc certe apparet, ab Euripide afferri byssum ea potissimum de caussa, quoniam, ut ait Plinius, vestes hac materia confectae mulieribus solis erant in deliciis, abhorrebant ab virorum usu. Nihil ergo nisi *γυναικόμιμος στολά*, quemadmodum est v. 978., peplis illis significata est. Postremo Pentheus ad speciem Maenadis capiti mitram imposuerat (v. 1113.), comae erant paullo incomptiores et prolixiores (819.), nebride se cinxerat (v. 833.), thyrsum sumpserat dextra manu (v. 941.): de quibus omnibus, quoniam ad bacchantium apparatum pertinent, alio loco sumus commentati.

## Caput V.

### *De Agaùa.*

*Agaua* quoniam est proximo necessitudinis vinculo coniuncta cum Pentheo, factum est, ut prae sororibus, Ino et Autonoa, quamvis eaedem, ut Ciceronis verbis utar,

*incomptis unguibus bacchantes asperoque ore* discerpendi regis partes habuissent, sola tamen in scenam produceretur. Procedit in extrema fabula a versu 1166. deinceps. De immani autem filii caede recens in scenam irrumpit, ut est, bacchico furore praeceps, *ἐν διαστρόφοις ὄσσοις*, secundum v. 1165., insana caput Penthei velut belluae deiectae thyrsi cuspide portans infixum. Eandem ad speciem suam Nonnus, ut par erat, accommodavit Agauam l. XLVI. v. 217. sqq. Paullum discedit, quoniam in duas quasi scenas est divisa, Philostrati imago; ab Ovidio plane praetermissa est ea pars. Recordatione autem eius Horatius in Sat. II, 3, 203. scripsit:

*Quid? caput abcissum manibus cum portat Agaua*
*gnati infelicis, sibi tum furiosa videtur?*

Agauam Penthei caput in thyrso gestantem Fr. Jacobsius suspicatus est obversatam esse Agathiae, cum de Baccha Eurynoma in Anal. III, 43. ep. XXVII. proderet haec:

*ἡ μέγα καγχάζουσα λεοντοφόνοις ἐπὶ νίκαις,*
*παίγνιον ἀτλήτου θηρὸς ἔχουσα κάρη.*

Eodem spectant epigrammatis, quod totum ad Euripideam fabulam pertinere cap. I. significavimus, verba haec:

*καὶ τὴν εὐάζουσαν ἐν αἵματι παιδὸς Ἀγαύην*
*Λυσσάδε.*

Monumentum antiquum eo nomine considerandum capitis praegressi initio memoravimus. Maxime vero doleo, quod oculis usurpare non licuit tabulam illam 104. Tom. II. Poeciles Justinianeae, quam scribit Viscontius Mus. Piocl. Tom. III. p. 207. repraesentare Penthei in Bacchas impii occasum. Sed quam in eadem tabula monet effictam esse Nympham dormientem, eam suspicor esse Dircam, firmamento usus non sane leviusculo, posito in Euripideis in Bacch. vv. 519—537., et Nonn. Dionys. l. XLIV. v. 10. Denique non praetereunda est gemma quaedam apud Montefalconium in Antt. Explic. T. I. tab. 155. n. 4., qua comparet Maenas furibunda, altera manu caput humanum tenens, dextra pugionem, quae potest videri ad similitudinem Agauae esse expressa, et visa vere est Montefal-

conio p. 255. edit. II. Euripidiae autem personae descriptionem consentaneum est aptam fuisse ex illo furoris impetu, ut Baccha in scena ostenderetur inprimis bacchans, pallore offusa furiosae mentis indice, ac vultu omni suspenso et perturbationum pleno, comis insigniter passis et incomptis. Atque videndum est, quam id apposite factum sit, si oculis obiiceretur aspectus similis eius, quem notavit Philostratus: *Προςμέμικται δ' αὐτῇ τὸ τοῦ παιδὸς αἷμα, τὸ μὲν ἐς χεῖρας, τὸ δὲ ἐς παρειὰν, τὸ δὲ ἐς τὰ γυμνὰ τοῦ μαζοῦ.* Quamquam quod postremum legitur de nudato pectore, ab tragoedia intelligo ut indignum esse repudiatum. Sed cum in eum casum fortuna eam demisisset, ut ab insipienti animo liberata, quod est a versu 1267., filii faciem cognosset, plane est desperantis eius species ac paene profligatae moerore ingenti, id quod fideliter consectatus est Nonnus l. c. v. 272. sqq. Neque secus comparet in Philostrati imagine.

Verum ne quid praetermisisse videamur, cum v. 1140. nuntii verba sint haec:

*φέρει λέοντος διὰ Κιθαιρῶνος μέσον,*
*λιποῦσ' ἀδελφὰς ἐν χοροῖσι Μαινάδων,*

ea re Agaua non existimanda est sine comitatu quodam apparuisse in scena. Nam quibus primum eius ingressum chorus verbis excipit, *δέχεσθε κῶμον Εὐίου θεοῦ*, ea manifesto in eam dicta sunt sententiam, ut processerit suo mulierum bacchantium, quem ante in Cithaeronem duxisse narratur v. 681., stipata thiaso. Itaque superiores illi *χοροὶ Μαινάδων* intelligantur necesse est non de universa Baccharum Thebanarum turba, sed de solis sororum thiasis.

Relicua Agauae species est mulieris bacchantis. Verum etsi cetera omnia in Agauae et Baccharum cultu paria erant, tamen consentaneum est, vestimentorum quadam discrepantia eminuisse maiorem illius dignitatem. Nam quae est regis alterius mater, filia alterius, eadem necesse est existimata fuerit regina et digna ornatu regali. Quocirca ad eam pertinere intelligo tunicae genus, quo Pollux

IV, 118. refert in tragoedia indutas fuisse mulieres regias. Verba eius sunt: γυναικείας δὲ σκευῆς συρτὸς πορφυροῦς, παράπηχυ λευκὸν, τῆς βασιλευούσης. Fuit igitur haec tunica purpurea, sed alba manicarum ea parte, quae est a cubito extrema. Et si originem vocabuli συρτός consideras, quoniam est a σύρειν, tunica fuit tracta quaedam et tam fluens, ut humum verreret. Quare non dubitamus, quin idem sit vestimentum, quod σύρμα vocatur, nomine illa ipsa vi in Romanorum linguam translato. Quae sententia sustentatur Pollucis auctoritate l. VII, 67. scribentis, σύρμα δέ ἐστι τραγικὸν φόρημα ἐπισυρόμενον. Similiter sentiens Genellus p. 90. 91. rem tamen invertit, proinde ac si de syrmate quidem constaret, συρτός autem in incerto haberetur, an item ad tragoediam pertineret. In quo secutus Winckelmannum videtur, qui in Monum. Ined. T. II. p. 108. syrma, perinde ut xystidem, de talari actorum vestitu, στολῇ, interpretatur nisus fortasse illo Pollucis exemplo. Nisi Latinorum maxime spectavit loquendi usum. Nam diffitendum sane illud non est, syrma generaliter de talari dici, veluti *Bacchi syrma* apud Senecam supra habuimus; itemque Solinus p. 8. d. Salmas.: *Vestitur syrmate, ut est habitus, quo Liberum patrem amiciri videmus.* Verum an praecipue de tragicorum histrionum stola tanquam proprium quoddam nomen sit usurpatum, vehementer dubito, nec quaerenti ullum mihi inventum est gravius firmamentum. Pollucis quidem τραγικὸν φόρημα admodum est ambiguum, parumque habet perspicuitatis, quam in partem debeat accipi.

---

## Caput VI.

### *De Cadmo et Tiresia.*

Senes inducuntur *Tiresias* et *Cadmus*, ambo Bacchi partium studiosissimi, id quod scite ab Euripide et soller-

ter est institutum. Nam cum, quae habet maximam in aetatibus auctoritatem, senectus novi dei religionem reiicere verecundaretur, eo turpiorem culpam Penthei iuvenis temeritas contraxit, quod illis exemplis non solum se corrigi pateretur, sed prudentiorum etiam monita singulari insolentia contumaciaque repudiaret. Sed augetur culpae atrocitas tum neglectione arctissimae necessitatis, quod adversus avi gravitatem nepos in hac caussa parum adhibuit reverentiae, tum contemptu sapientiae sanctissimae, qua rerum divinarum humanarumque caussas rite perspicere putabatur vates Tiresias. Praeterea utrique cum Baccho summa est constituta necessitudo, Cadmo, quod credebatur esse *ὁ τοῦ Διονύσου πάππος*, ut ait Athen. XIV. p. 688. e., Tiresiae, quod divinationis artem callebat. Nam et ipse vates erat Bacchus, et cum furoris impetu, cuius inprimis auctorem habebant deum, coniuncta existimabatur esse divinatio, id quod ipse declaravit Tiresias v. 298.

*μάντις δ' ὁ δαίμων ὅδε· τὸ γὰρ βακχεύσιμον*
*καὶ τὸ μανιῶδες μαντικὴν πολλὴν ἔχει.*
*ὅταν γὰρ ὁ θεὸς εἰς τὸ σῶμ' ἔλθῃ πολὺς,*
*λέγειν τὸ μέλλον τοὺς μεμηνότας ποιεῖ.*

Etenim solebant, qui vaticinationes erant praedicturi, deo impleri et divinum quendam furorem concipere, quem Plutarchus dixit *μαντικὸν ἐνθουσιασμόν*, Opp. Mor. p. 663. Wytt. Etym. Magn. p. 574., 27. *ἐνθουσιασμένοι γὰρ οἱ μάντεις ἐμαντεύοντο.* Et Pythiae quidem delphicae illum furorem tradiderunt Justinus l. XXIV, 6. scholiasta ad Arist. Plut. 39., et qui sunt praeterea usurpati scriptores ab Ant. Vandalio de Orac. Vet. Ethnic. p. 130. sqq. 139. Praesagitio autem quod inest animis eorum, qui sunt bacchico furore incensi, ipsa vocabula *Βάκχος* et *Βάκχα* usurpantur de iis, qui deorum erga homines mentem praenoscunt, quemadmodum Cassandra ab Eurip. Hec. 123. *μαντίπολος Βάκχα* est appellata, quod imitatus Lycophro v. 676. eiusdem os dixit *ἔνθεον βάκχειον στόμα* et v. 1269. *βακχεύσιμον.* Eadem de

caussa Virgil. Aen. VI, 77. *bacchari* posuit de vate, qui divina praesagitur. Notavit haec exempla Gulsb. Cuper. Obss. III. c. XII. Sed divinationis cum Bacchi numine summam coniunctionem ostendunt oracula, quae ab hoc deo in Thracia homines petebant. Quo spectavit Euripides Hec. 1267. Pausan. IX, 29. 5. Herodot. VII, 111. ib. Wesseling. et Schweigh. Ipsius delphici oraculi participem faciunt Bacchum Plutarch. de *εἰ* delphico c. IX. p. 388. f. et Tzetz. ad Lycophr. v. 207.

His de caussis cum Cadmi et Tiresiae partes gnaviter Euripides cum fabula contexuisset, exemplum hoc non aspernati sunt Ovidius, Nonnus, epigrammatis scriptor incertus ap. Brunck. An. II. p. 225. n. CCCLIII. Sed in Philostrati imagine Tiresiae persona non efficta erat, ut aliena ab illa scena. Solum item Cadmum habet inficetissimus huius fabulae narrator, Oppianus Cyneget. IV, 291. Pentheum referens Baccho caedem minatum esse *οὐ Τυρίου Κάδμοιο καταιδόμενον τρίχα λευκήν.* Animi vero caussa hic libet meminisse de Clemente Alexandrino, qui cum Euripidiam tragoediam nonnisi ab ebrio poëta potuisse proficisci iudicasset, tum et ipsum Tiresiam, cuius solius ex obscura fabulae recordatione certiorem quandam videtur retinuisse memoriam, non modo temulentum, *παροινοῦντα*, putavit fingi, sed eius adeo personam ridicule confudit cum Penthei, in Protrept. p. 33. l. 10. et Paedag. p. 180., 33. Sylb.

Sed quoniam ab Elmsleio p. 6. exemplaris Lips. Euripidem video notari, quod temporum rationibus parum diligenter consideratis Tiresiam induxerit Cadmo septem fere aetatibus iuniorem, in eo non satis accurate circumspexit Anglus fabulosae antiquitatis historias. Etsi enim illud iudicium Agatharchidae ap. Phot. p. 1332. testimonio nititur, Euripides tamen ab reprehensione temeritatis tam longe abest, ut doctrinae potius laudem sit consectatus. Etenim historia est si forte paullo reconditior, at vetustissima antiquitatis memoria tradita, Tiresiam a Jove divi-

nandi arte et septem aut novem aetatum vita esse donatum. Hesiodum eius auctorem perhibet Tzetza ad Lycophr. v. 682. *τὸν Τειρεσίαν λέγει, ἐπειδή φασιν αὐτὸν ζ' γενεὰς ζῆσαι, ἄλλοι δὲ θ'. ἀπὸ γὰρ Κάδμου ἦν καὶ κατώτερον Ἐτεοκλέους καὶ Πολυνείκους, ὥς φησι καὶ ἡ τῆς Μελαμποδίας ποίησις. παρεισάγει γὰρ τὸν Τειρεσίαν λέγοντα·*

> *Ζεῦ πάτερ, εἴθε καὶ ἥσσω ἐμοὶ αἰῶνα βίοιο*
> *ὤφελλες δοῦναι, καὶ ἴσα φρεσὶ μήδεα ἴδμεν*
> *θνητοῖς ἀνθρώποις! νῦν δ' οὐδέ με τυτθὸν ἔτισας,*
> *ὅς γέ με μακρὸν ἔθηκας ἔχειν αἰῶνα βίοιο,*
> *ἑπτὰ δ' ἔπι ζώειν γενεὰς μερόπων ἀνθρώπων.*

Quibus in versibus quae novavi, partim nituntur Tzetzae schol. exeg. Il. p. 149., partim coniectura continentur. Nam *ἴσος* vocabuli priore syllaba correpta non dubito tum propter auctoritatem Hesiodei versus 758. in Opp. et D., de cuius scriptura non ambigo, tum propter inferiorum poëtarum Alexandrinorum exempla frenquentissima. Cf. Spitzner. de Vers. Gr. Her. 24. Friedemann. de Med. Syll. Pent. 285. In primo autem versu, quem paullo aliter emendavit Gerhard. Lectt. Apoll. p. 160., libenter scripsissem: *εἴθε μοι ἐξ ἴσων*, si *ἐξ ἴσων* pariter atque *ἐξ ἴσου* adverbii instar usurpatum constaret. Quamquam habent similitudinem exempla huiusmodi: *ἐκ τῶν δικαίων* pro *δικαίως*, *ἐκ προσηκόντων*, *ἐξ ἀέλπτων*, quod quidem recentioribus scriptoribus assignavit Lobeck. ad Aiac. 716. In postremo autem versu, quoniam *ἔτι* illo, quod servavit etiam Gerhardus, sententiam plane perverti intellexi, siquidem hoc additamentum summam facit non septem sed octo aetatum, correxi secundum Phlegontem Trallianum, qui de Mirab. et Vitae Longaev. 4. Meurs. huius longaevitatis caussam perhibens, aperte Hesiodeam narrationem spectavit. Ibi enim quemadmodum verba, *μοιρῶν οὐσῶν δέκα, τὸν ἄνδρα τέρπεσθαι τὴν μίαν, τὴν δὲ γυναῖκα τὰς ἐννέα,* manifesto petita sunt ex Hesiodeis versibus, quos Heynius ad Apollodor. III, 6, 7. emendavit sic:

*οἵην μὲν μοῖραν δέκα μοιρῶν τέρπεται ἀνήρ,*
*ἐννέα δ' ἐμπίμπλησι γυνὴ τέρπουσα νόημα,*

ita eiusdem poëtae recordatione nituntur, quae insequuntur deinde ap. Phlegontem: τὸν δὲ Δία δωρήσασθαι αὐτῷ τὴν μαντικὴν καὶ βιοῦν ἐπὶ γενεὰς ἑπτα. Sed hanc vitae diuturnitatem non solum multifariam poëtae exornarunt, sed Tiresiae nomen hinc proverbii quasi loco usurpavit Lucilius facete sic scribens ap. Donat. ad Ter. Eun. II, 3, 44.

*Ante fores autem et triclini limina quidam*
*Perditus Tiresias tussi grandaevus gemebat.*

Itaque propter temporum rationes minus accurate subductas ne in levissimam quidem reprehensionem nec Euripides incurrit, nec Nonnus eundem vatem cum Actaeonis fabula coniungens l. V. v. 337. Atque Euripides sciens ita versatus est nec imprudens, id quod manifestum redditur eo, quod cum senili aetate ostendi vellet utrumque, Tiresia tamen seniorem finxit Cadmum. Nam v. 175. Tiresias ipse ad Cadmum, ἅ τε ξυνεθέμην, inquit, πρεσβὺς ὢν γεραιτέρῳ.

Huius diversae senectutis quoniam quasi imagines esse debebant personarum species, opportunissimus praebetur Pollucis ille de personis tragicis locus, quo, quibus fere notis expressa fuerit illa discrepantia, optime licet docere. Is enim l. IV. §. 133. in ceteris senum personis duas, quarum alteram ξυρίαν, alteram appellat λευκὸν ἄνδρα, describit sic: Ὁ ξυρίας πρεσβύτατος τῶν γερόντων, λευκότατος τὴν κόμην· προσκείμεναι τῷ ὄγκῳ αἱ τρίχες. ὄγκος δέ ἐστι τὸ ὑπὲρ τὸ πρόσωπον ἀνέχον εἰς ὕψος, λαβδοειδεῖ τῷ σχήματι. τὸ δὲ γένειον ἐν χρῷ κουρίας ἐστὶν ὁ ξυρίας, ἐπιμήκης ὢν τὰς παρειάς. Ὁ δὲ λευκὸς ἀνὴρ πᾶς μέν ἐστι πολιὸς, βόστρυχοι δὲ περὶ τὴν κεφαλήν· καὶ τὸ γένειον πεπηγὸς, καὶ προπετεῖς ὀφρῦς (vulgo προπετὴς ὀφρῦς) καὶ παράλευκον τὸ χρῶμα· ὁ δὲ ὄγκος βραχύς. Itaque *Cadmus* comparebat caesariem habens canissimam, non cincinnatam sed ad fron-

tis superficiem, quae erat paullo altior, simpliciter adiacentem. Barba erat plane detonsa et genae pendulae. *Tiresias* contra totus quidem canus, sed cincinnis circa caput ornatus et bene barbatus. Brevior frontis superficies, oris color pallidus. Sed supercilia procidua oculos plane contexisse putanda sunt. Oculorum autem iam tum erat caecitas, ut intelligitur ex v. 193. 210.

De *habitu Cadmi* quidem vix est quod addam post ea, quae in superioribus sunt explicata. Praeter *ποικίλον*, quod ad dignitatem viri solerter fuisse accommodatum sua sponte apparet, cetera in apparatu continebantur bacchico, *σκευῇ θεοῦ*, ut est v. 180. Itaque amictus erat pelle hinnulea, in capite redimitus hedera, thyrsum denique manu gestabat. Documento harum rerum sunt vv. 175—177. 249—254. *Tiresiam* autem necessario esse debent quae vatem prodiderint. Vatis honor primum cernebatur in reticulo quodam, ex laneis funibus contexto, quod super tunicam impositum totum cingebat corpus. Nam Pollux IV, 116. *Ἀγρηνόν· τὸ δ' ἦν πλέγμα ἐξ ἐρίων δικτυῶδες περὶ πᾶν τὸ σῶμα, ὃ Τειρεσίᾳ ἐπεβάλλετο ἤ τινι ἄλλῳ μαντικῷ.* Etymologicum Magnum p. 14, 2. *Ἀγρηνόν· ποικίλον, ἐρεοῦν, δικτυοειδές· καὶ ἔνδυμα δὲ ποιόν.* Quam propter glossam fere suspiceris, colore variatum fuisse reticulum. Nam albi coloris scientiam unde hauserit Genellus p. 94., ego non exputo. Manifestum autem est, multiplici hoc et tortuoso filorum contextu figurate significari obscuritates et aenigmata divinationis. Sed Hesychius plane est mirabile quomodo de hoc ornamento scripserit glossa hac: *Ἀγρηνὸν δικτυοειδές, ὃ περιτίθενται οἱ βακχεύοντες τῷ Διονύσῳ. Ἐρατοσθένης δὲ αὐτὸ καλεῖ γρῆνυν ἢ γρῆνον.* Neque Winckelmannus Mon. Ined. II, 82., ubi statuam eiusmodi reticulo cinctam memorat in Hadriani villa Tiburtina esse collocatam, difficultatem expedire potuit. Verum est alia Hesychii glossa, *γρίνος* (aut potius *γρῖνος*) *δέρμα*, aeolica duntaxat forma pro *ῥινός*. Ex eo vocabulo postquam vitiosa pro-

nuntiandi consuetudine depravatum est *γρῆνος* vel *γρῆνον*, propter sonorum similitudinem ad eandem significationem male traductum est vocabulum *ἀγρηνόν*. Hoc enim cum sit ab *ἄγρα* factum, quid habeat cum *γρῆνος* commune, non perspicitur. *Γρῖνος* autem vel vitiosum *γρῆνος* quoniam significat pellem, ad bacchicam religionem translatum necesse est de pelle hinnulea, nebride, fuerit intellectum. Hinc accidisse iam patet, ut ubi semel *ἀγρηνόν* et *γρῆνον* essent in unum confusa, de eadem pelle bacchantium propria illud prave acciperetur.

Illo igitur reticulo, quod *χρηστηρίαν ἐσθῆτα* vocat apud. Aeschyl. Agam. 1241. Blomf. Cassandra, si nulla est dubitatio, quin apud Euripidem in scena amictus Tiresias fuerit, non tamen item ceteris vatum insignibus ornatus comparebat. Sed ea, a Polluce praetermissa nec Genello cognita, antea est docendum, qualia fuerint. Licet ex Aeschylo hanc petere notitiam. Apud quem Agamemn. v. 1235. Bl. Cassandra mulier fatidica loquitur in hunc modum:

τί δῆτ' ἐμαυτῆς καταγέλωτ' ἔχω τάδε
καὶ σκῆπτρα καὶ μαντεῖα περὶ δέρῃ στέφη.

Versantur igitur haec ornamenta in *sceptro* quodam et *corona fatidica*. Euripides autem si Troad. 258. de eadem Cassandra loquens dixit *ἐνδυτῶν στεφέων ἱεροὺς στολμούς*, videtur omnia simul comprehendisse fatidica insignia. Sceptri nomen, quod erat *ἰθυντήριον* servavit Hesychius, qui cum dicit, *ὃ φέρουσιν οἱ μάντεις σκῆπτρον ἀπὸ δάφνης*, laureum fuisse cognoscimus ramum, quem dextra solitum esse gestari, probabile fit eo, quod Apollo ita plerumque effictus est in numis et in marmoribus antiquis, testante Spanhemio ad Callim. h. in Del. v. 94. Verumtamen non totum laureum fuit hoc vatum *ἰθυντήριον*, sed scipio potius lauro involutus, id quod coniicere licet iccirco, quod Chrysae vatis sceptrum apud Homer. Il. *α*, 15. perspicue traditur *χρύσεον*. Nec multum ab veritate videmur aberrare, si quandoque bacillum fuisse statuimus incurvum

et leviter a summo inflexum, propter parem litui formam, quod quoniam erat apud Romanos insigne auguratus, ab illa sceptri fatidici similitudine originem videtur duxisse et usum.

Quae autem ab Aeschylo dicuntur *μαντεῖα στέφη*, ea vulgari nomine sunt *στέμματα*, velut ap. Eurip. Bacch. v. 356. Homer. l. c. Hinc Lucianus Alexandr. c. 60. T. II. p. 264. Reitz., *μαντεῖον ἀποδέξασθαι καὶ στεφανωθῆναι τῷ ἱεροφαντικῷ καὶ προφητικῷ στέμματι.* Eodemque spectare, quae paullo ante c. 58. memorata sunt *στέμματα τοῦ πάππου Ἀσκληπίου*, vidit M. Gesnerus. Ea item fuerunt laurea. Nam Eustathius ad Hom. T. I. p. 24. extr. Rom. *διὸ τὸ στέμμα οὐ φέρει ὁ Χρύσης, ἀλλ' ἐν χερσὶν ἔχει, ὡς ἐλαφρόν· καὶ ὅτι κατ' ἔρωτα τῆς μυθολογουμένης Δάφνης δάφνινον ἦν τό στέμμα τὸ τοῦ Ἀπόλλωνος, καὶ ὅτι αὐτῷ ἀνάκειται τὸ τῆς δάφνης φυτόν· — — καὶ ὅτι μαντικῆς αὐτό ἐστι σύμβολον.* Quippe laurus tum ad sceptrum tum ad coronam adhibebatur propter summam vatum necessitatem cum Apolline, divinationis et auctore et antistite, cui tam sacra erat, ut non solum ipse semper incederet laureatus, sed totum eius templum delphicum lauro esset confertum, id quod pervulgatum nunc est post Ez. Spanhemie annotata ad Callim. h. in Apoll. v. 1. in Del. v. 94. Atque ut Guisb. Cuperi verbis ex Explic. Numism. Ant. (post Apoth. Hom.) p. 250. utar, est ipsa *laurus, uti docet praeter alios Fulgentius Myth. l. VII., fatidica, persuasumque habebant comestam conferre ad numinis afflatum.* Sed ea caussa factum est, ut *στέμμα* in rebus, quae ad Apollinem pertinent, de laurea usurpatum sit *κατ' ἐξοχήν*, uti grammatici vocant. Ita ap. Eurip. Ion. 224. totum eius templum *στέμμασι* fertur ornatum et quasi contectum. Ion quoniam in templo educatus pro dei ministro deinceps habebatur, *ἱερὰ* gestabat *στέμματα*, ut est v. 1389. vel *τὰ τοῦ θεοῦ στέμματα* v. 522. 1310. Denique ipsa arcula, in qua

infans quondam Ion erat expositus, eiusmodi laureis redimita a Pythia profertur. Namque ita intelligo v. 1338. verba: ὁρῶ παλαιὰν ἀντίπηγ' ἐν στέμμασιν. Prave Musgravius στέμματα de ara interpretatur nihili aestimans repugnantiam versus antecedentis, ὁρᾷς τόδ' ἄγγος χερὸς ὑπ' ἀγκάλαις ἐμαῖς;

At vero mirum nobis est visum illud, quod Aeschylus μαντεῖα στέφη scribit περὶ δέρῃ circumdata. Quod si Casaubonus ad Theophr. c. 16. p. 390. accipit de corona *collo appensa*, ea interpretatio tum per se habet magnam probabilitatis speciem, tum sustentari quodammodo videtur Etymologici M. 726, 48. testimonio hoc: στέμματα μὲν γάρ ἐστι παντὸς ἐν οἱφδήποτε τρόπῳ (concinnius scribitur πᾶν τὸ ἐ. οἱ. τ.) περιτιθέμενον καὶ περὶ χεῖρα καὶ περὶ τράχηλον· στέφανος δὲ μονῇ τῇ κεφαλῇ περιτίθεται. Verumtamen sunt aliquot momenta, quibus consentaneum credas sentire potius de *capitali* corona. Nam primum Apollo semper habet lauream non in collo sed in capite, neque est, cur qui huius potissimum dei numen suspiciunt, vates ab hoc more discessisse existimentur. Porro non solum qui reapse cum diis quadam coniunctione continebantur, sed omnes homines tum, cum in deos sacras suscipiebant religiones ac caerimonias, capitali illiusmodi ornamento cincti erant. Sacrificantes enim coronam habuisse capiti impositam, et tralaticium est et pridem satis superque explicatum ab interpretibus Aelian. III, 3. et scriptoribus Cupero Apoth. Hom. p. 70. citatis. Caussam eius consuetudinis apud Athenaeum XV, 674. Sappho proponit quandam. Nam εὐανθέστερον καὶ κεχαρισμένον μᾶλλον τοῖς θεοῖς παραγγέλλει στεφανοῦσθαι τοὺς θύοντας. Sacerdotes autem cum solenni veterum more sacras capite gestabant coronas, infulas, vittas (cf. Cuper. Ap. Hom. p. 138.), tum vero maxime cum sacrificabant et signa explicabant, quae dii hominibus portenderant. Cf. Voss. ad Virg. Georg. III, 487. Quin sacerdotum ipsam illam infulam στέμμα significasse, cum Suidae

glossa a Cupero l. c. allata testimonia ostendunt a Kuhnio ad Poll. I, 28. enotata. Neque dubito, quin eam in partem Lucianus intellexerit illud, quod supra attulimus, *ἱεροφαντικὸν καὶ προφητικὸν στέμμα.* Quapropter vates quoniam et ipsi habentur Apollinis sacerdotes, et in deorum mente signisque explicandis versantur cummaxime, eorum stemma fere credas item fuisse infulae eiusmodi sacrae speciem cum laurea circum obvoluta. Quemadmodum est apud recentioris sane aevi poëtam latinum Val. Flaccum l. I, 208. 383. ss. vates Mopsus ornatus. Et Statium quoque iam pervideo, Theb. II, 96. in Tiresia notantem *vellera* et ib. v. 121. *ramos et vellera*, intelligere laneam infulam ramis laureis involutam. Itaque in vatibus coronam certe capitalem vix licet diffiteri. Nec forsitan in Aeschylio *περὶ δέρη* multum sit ambigendum, quin sentiatur de capite, siquidem quod caput cingit, idem necesse est cervicem vel partem cervicis cingat. Quam explicandi rationem fortius etiam in Etymologico licet adhibere, quum ibi verbis *καὶ περὶ χεῖρα καὶ περὶ τράχηλον* aperte sint opposita *μονῇ τῇ κεφαλῇ περιτίθεται.* Nonnus autem sine ulla dubitatione de capite dixit *ἐπ᾽ αὐχένι* in his: *ἰομοβόρων δ᾽ ἔζευξεν ἐπ᾽ αὐχένι δεσμὰ δρακόντων*, Dionys. l. XIV. v. 354.

Sed quoniam non est praetermittendum id, in quo Brunckius ad Soph. Oed. R. v. 3. aut errorem commisit, aut certe minus considerate locutus est, diligenter seiungenda sunt ab supplicantium *στέμμασι* vatum illa. Etenim constat supplicantes frondem oleaginam manu ferre et in deorum aris deponere consuevisse. Pervagatam hanc consuetudinem, si hoc opus est addere, post multos alios exponunt Musgrav. et Elmslei. ad Eur. Heracl. 125. 227. Eas frondes Sophocles illo versu vocat *ἱκτηρίους κλάδους*, et quoniam erant oleaginae, Euripides Suppl. 259. *γλαυκὴν χλόην φυλλάδος καταστέφῃ.* Vulgarioribus nominibus dicuntur *θαλλοί*, ut videre licet ap. Intt. ad. Poll. I, 28. Etym. M. 271, 53. 441, 48. Eurip.

Suppl. 10., vel ἱκετηρίαι secundum Suid. et Harpocrat. s. v., vel in Atticorum lingua εἰρεσιῶναι, testantibus Etym. M. 303., 18. schol. ad Arist. Plut. 1055. cum iis, quae ibidem disputavit Spanh. Eae igitur etsi item στέμματα sunt nuncupata, quemadmodum ab Euripide Suppl. 36. 470., tamen Brunckius vatis Chrysae stemmata cum his perperam in unum confudit. Nam cum enucleate ibi scriptum sit, στέμματα ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος, cogitandum necessario est de laurea, quam decebat Chrysam gestare propter divinandi scientiam. Manibus autem tum tenebat, quoniam fere supplex accesserat ad Agamemnonem, id quod dudum perspecte explanavit Eustathius. Acceperunt autem rami supplices στεμμάτων nomen figura ea, quae vocatur pars pro toto. Nam cum oleaginae frondes solerent lanea tanquam vitta esse obvolutae, proprie vittam illam significabat στέμμα, idque expressum est ab Aesch. Eum. 44. sic:

ἐλαίας θ' ὑψιγέννητον κλάδον,
λήνει μεγίστῳ σωφρόνως ἐστεμμένον,
ἀργῆτι μαλλῷ.

Schol. ad Soph. Oed. R. 3. στέμμα τὸ προςειλημμένον ἔριον τῷ θαλλῷ. Etym. M. 303, 33. στέμματα γὰρ τὰ ἔρια λέγουσιν οἱ Ἀττικοί, et totidem verbis Etym. Gud. p. 170. l. 22. ap. Sturz. Aeschines ap. Harpocr. et Suid. l. c. ἱκετηρία καλεῖται ἐλαίας κλάδος στέμματι ἐστεμμένος.

Verum ut eo referam orationem, unde paullisper discessi, cum sceptro fatidico et laurea quamquam vulgo solebant in scenam produci vates et mulieres divinantes, non tamen item in hac fabula Tiresias. Ei enim nunc non cum Apolline res est sed cum uno Baccho. Cuius religionem quoniam parat omnibus cum caerimoniis colere (χορεύειν est v. 190. 205. 322.) pro sceptro gerit thyrsum et pro laurea coronam hederaceam. Praeterea nebride est amictus. Declarantur haec vv. 175—177. 205. 249. Neque illud repugnat, quod v. 350. Pentheus a Tiresia

iubet avelli stemmata. Nam hoc ea tantum conditione iubet fieri, si, quo loco *οἰωνοσκοπεῖν* (v. 347.) soleat vates, ibi deprehendatur in divinando occupatus. Quippe tum propter Apollinis curam ornamentis fatidicis instructum esse oportuit.

## Caput VII.

### *De nuntiorum et famulantium personis.*

Quae infimas famulorum nuntiantium partes sustinent, sunt tres personae; una nomine *Θεράποντος* cum aliorum quidem famulantium comitatu quodam prodiens, sed solius rei suae, quomodo acta sit, rationem reddens brevissima oratione vv. 434—450. Paullo ampliores alterius sunt partes versibus 659—773. transactae. *Ἄγγελον* vocat index, sed proprie est bubulcus in angustis montium aequoribus habitans, ut est v. 717. Tertia denique est *Ἑτέρου Ἀγγέλου* persona, qui cum choro habet sermonem bene longum in scena a v. 1023. ad 1150. producta. Sed is apprime distinguendus est ab eo, qui in nonnullis tragoediis usurpatur *Ἐξάγγελος*. Quem scio equidem ab Aeschylo primum adhibitum (Philostr. Gorg. c. 1. p. 492.) nuntium esse eorum, quae intus domi essent gesta, *τὸν τὰ ἔνδοθεν τοῖς ἔξω διαγγέλλοντα*, verbis Ammonii de Differ. et Affin. Vocabb. p. 2. Valck. In Euripidia autem hac fabula quoniam alter ille nuntius res narrat in Cithaerone gestas, simpliciter vocatus est *Ἄγγελος*, et ut servus Penthei domesticus (cf. v. 1026.) *ἑτέρου* additamento ab bubulco illo distinctus.

Haec si in promptu sunt omnibus, difficiliorem tamen nunc aggredimur quaestionem investigaturi, quibus maxime notis inter se diversae apparuerint horum nuntiorum personae. Nam ex ipsa fabula vix licet scrutari locos, ex quibus discriminis argumenta eruantur. Pollux vero trium servilium personarum l. IV, 137. 138. exhibuit hanc descri-

ptionem: *Τὰ μέντοι τῶν θεραπόντων πρόςωπα διφθερίας, σφηνοπώγων, ἀνάσιμος· ὁ μὲν διφθερίας, ὄγκον οὐκ ἔχων, περίκρανον ἔχει καὶ τρίχας ἐκτενισμένας λευκὰς, πρόςωπον ὕπωχρόν τε καὶ ὑπόλευκον, καὶ μυκτῆρα τραχὺν, ἐπισκύνιον μετέωρον, ὀφθαλμοὺς σκυθρωπούς. ὕπωχρός δέ ἐστι καὶ τὸ γένειον προπαλαίτερος. ὁ δὲ σφηνοπώγων ἀκμάζει καὶ ὄγκον ὑψηλὸν ἔχει καὶ πλατὺν, κοιλαινόμενον ἐν τῇ περιφορᾷ· ξανθὸς, τραχὺς, ἐρυθρὸς, πρέπων ἀγγέλῳ. ὁ δὲ ἀνάσιμος ὑπέρογκος, ξανθὸς, ἐκ μέσου ἀνατέτανται αἱ τρίχες, ἀγένειός ἐστιν, ὑπέρυθρος· καὶ οὗτος ἀναγγέλλει.* Strictim hac occasione noto latinum Pollucis interpretem eo, quod *ἐπισκύνιον μετέωρον* perperam convertit *capitis verticem sublimem*, cum sit *sublime et erectum supercilium*, ea significatione, qua dixit Cicer. de Prov. Cons. c. 4. p. Sext. c. 8. Nam Etymolog. M. p. 364. l. 7. *ἐπισκύνιον* ait *τὸ ἐπάνω τῶν ὀφθαλμῶν μέρος ἤτοι δέρμα, τὸ συνοφρύωμα τοῦ μετώπου.* Nec *σφηνοπώγωνα* debebat *torta barba insignem* vertere, sed *acuminata.* Haec quasi praeteriens monui. Ex illis autem personis etsi *διφθερίας* cui sit commodandus, licet probabile quiddam extricari, tamen de ceteris duobus multa sunt quae ambigantur. Sed si leviore coniectura rem licet pendere, *σφηνοπώγων* quum oris quandam asperitatem describatur prae se tulisse, talem faciem existimo non allatam esse a famulo priore, qui est *Θεράπων*, utpote non mediocriter abhorrentem a modesto animo, quem de semet ipse profitetur v. 441. Quocirca si huic assigno *resimi* personam, tamen *σφηνοπώγωνος* species an convenerit servili postremi nuntii, qui est *Ἕτερος Ἄγγελος*, conditioni, propter ea, quae Genellus p. 108. meditate commentatus est, dubius haesito. Est enim profecto huius, qui habet acuminatam barbam, maxima quaedam ac difficilis ad distinguendum similitudo cum Mercurii simulacris, nec obscura suspicione coargui videtur illud ab Genello, praeconum potius fuisse

hanc personam quam servorum hominum. Verum potest tamen in servis etiam nuntii ex Mercurio vultus similitudo ducta esse eo consilio eaque industria, ut spectatores propter dei memoriam tam studiose suscitatam in illis nuntiandi munus statim intelligerent. Quo pacto credibile sane est, praeconum ingenuam dignitatem relicua apparatus ratione a demissa servilium nuntiorum humilitate fuisse disiunctam.

Sed διφθερίαν non adeo obscure produnt indicia quaedam quo pertinuerit, omnisque eius personae descriptio ad coniecturam de *pastore montano* capiendam ducit. Etenim in ipso vultu tristissimo ac moroso expressa est fera agrestisque vita hominis rusticani et ob stabilem quandam in montium latebris mansionem ab humanitatis cultu longissime seiuncti. Et canescens illa aetas propter severitatem in pastoribus studiosius ascita a tragoedia esse videtur, quandoquidem summa ostenditur senectute pastor, qui in Euripidis Electra a v. 486. deinceps agit partes. Item quae a Sophocle in Oedipo Rege duae pastorum personae sunt usurpatae, senectutis speciem habent; quamquam hoc exemplum, quoniam ex tragoediae natura debebat ita institui, videri potest minus idoneum. Sed Euripideum in Iphigenia Taurica bubulcum seniorem comparuisse coniicio iccirco, quod is v. 265. a semet ipso diligenter distinguit νεανίαν βουφορβόν. Nec solum tragoedia eam senectutis speciem consectata est, sed eandem saepiuscule usuvenire meminimus in artificum veterum operibus, quibus pastores sunt effícti. Ita est apud Viscont. Mus. Pioclem. Tom. III. tab. 34., aliudque ab illo memoratur exemplum p. 167. not. 1. Nec tamen illo Pollucis testimonio tam perverse est abutendum, ut senili facie pastores contendatur semper esse repraesentatos. Quid enim? Profecto poterat ad relicuam personae descriptionem optime accommodari qualiscunque aetas, ne tantillo quidem detracto de oris lineamentis, in quibus tanquam insignitae notae cultus pastoricii apparerent. Deinde in hominem montes et campos hieme

et aestate totos dies peragrantem non mediocriter cadere intelligo *περίκρανον* illud, quod diphtheritae proprium tradit Pollux, siquidem hoc est, ut est, capitis contra solem et tempestatem quoddam tegumentum, *προςκεφάλαιον κάλυμμα*, quemadmodum Hesychius explicat cognatum vocabulum *ἐπίκρανον*. *Pileum ἄκωνον vel teretem* affert Cuperus Apoth. Hom. p. 83. Pileo autem caput opertum habere solitos esse pastores, satis ostendit fragmentum Callimachi ap. Spanhem. II.

ἔπρεπέ σοι προέχουσα κάρης εὐρεῖα καλύπτρη,
ποιμενικὸν πίλημα.

Gravissimum autem in his momentum habet ipsum *διφθερίας* nomen, quo manifestissimum datur *διφθέρας*, vestis pastoriciae, indicium. Cuius vestis materiam, ex qua facta sit, declarat princeps vocabuli vis, pellem mollitam vel corium, *δέρμα*, *βύρσην* ap. Hesychium, significans, et cum restricte ad sola coria caprina referatur ab Ammon. p. 43. et Etym. Gud. p. 148., 30., tamen latius patet, ita ut vel de piscium pelle posuerit Philostr. v. Apoll. III. c. 55. p. 138. Ol. Itaque *διφθέρα* est vestis ex cuiuslibet generis corio, et tunica quidem docente Polluce VII, 70.: *διφθέρα δὲ στέγανος χιτὼν ἐπίκρανον ἔχων*. Nam si cum scholiasta Arist. ad Nub. 70. Suidas s. v. *περιβόλαιον*, et *ἱμάτιον* etiam alii appellant, velim recordere, quam indiligentes in sua cuique vestimento specie assignanda interdum deprehendantur grammatici. Et ad prius licet in partes vocare intelligentissimum harum rerum aestimatorem Salmasium, qui ad Hist. Aug. Script. p. 334. c. *περιβόλαιον*, inquit, *qua voce et vestem stragulam et chlamydem et pallium et, quicquid amictui est, intelligunt*. Haec igitur tunica, *rheno* Romanorum lingua secundum Kuhnium ad Poll. IV, 119., quum propter laborum consuetudinem deberet esse expedita, non multum videmur a vero averti, si eam statuimus aut prorsus caruisse manicis, aut ab altera tantum parte fuisse manuleatam. Ut certum prius pronuntiavit Genellus

p. 91. Eius apud rusticos usum post Pollucem X, 131. 175. testatur scholiasta Dionis Chrysost. ad Or. IV. p. 70. c. hunc in modum: διφθέρα, ἱμάτιον γεωργικὸν, στερεὸν; πρὸς ὄμβρων μάλιστα ἀποφυγὴν ἱκανόν. Exemplis eundem commonstrat Hemsterhusius ad Lucian. Tim. c. 6. T. I. p. 110. Rtz. De pastoribus autem, qui fere rusticorum nomine comprehenduntur, tradit Suidas s. v. διφθέρα, ποιμενικὸν περιβόλαιον ἐκ δερμάτων, et totidem verbis scholiasta ad Arist. Nub. l. c. Copiosius in hanc partem disputavit Casaubonus ad Theophr. c. V. p. 146. 147., vel eius exemplaris, quo Hemsterh. usus est, c. IV. p. 41. Theocrito eodem valere βαίτην, III, 25., docet scholiastae nota illuc ascripta, et Doriensium loquendi consuetudine hoc pro διφθέρα vocabulum receptum scribit Gregorius Cor. p. 287. Aliter tamen censuit Pollux l. c. βαίτην a διφθέρα diligenter discernens eo, quod longior fuerit, χιτὼν προςμήκης. De ea igitur tunica, cuius mentionem Pollux non oblitus est in vestium tragicae scenae usitatarum enumeratione, Varronis est de Re Rust. II, 11. testimonium, cuius indicium occupavit Fr. Jacobsius ad Anthol. Pal. p. 909., proditum in hunc modum: *Cuius usum* (dicit autem *pellis caprinae*) *apud antiquos quoque Graecos fuisse apparet*, *quod in tragoediis senes ab hac pelle vocantur διφθερίαι*, *et in comoediis*, *qui in rustico opere morantur*. Quod testimonium quoniam de senibus nimis generaliter est perscriptum, videtur duplicem in partem restrictius finiendum esse, ut primum in tragoediis intelligantur senes non ingenui sed servi, deinde ut, quod ratio docet non obscura, pastores maxime et rustici, quemadmodum in vita et scena comica, ita in tragica quoque illa veste statuantur induti, neque ii tantummodo senes, sed iuniores etiam, cum usus esset. Senes videlicet praeter ceteros attulit Varro, quia senectutis aetate plerumque id genus hominum, uti vidimus, in scena ostenditur. Ergo eundem in modum vestitus comparebat ille bubulcus, et quia cum vestitu

necessario erat coniuncta diphtheritae persona, qualis a Polluce describitur, verissima hinc consectaria est coniectura, ad eundem bubulcum pertinuisse diphtheritae personam. Quamquam de eo quidem, quod de aetate meminit Pollux, certi nihil definire audeo, nisi hoc, tum propter pastoricium cultum tum propter ceterorum famulorum diversitatem in hoc probabilem videri senilem speciem. Jam vero etiam illud in perspicuo est positum, de quo supra egimus, *περίκρανον* esse idem, quod altero loco *ἐπίκρανον* Pollux dixit, capitis quoddam tegumentum ipsi diphtherae ita adhaerens in tergo, ut posset quis ad libidinem aut capite operto esse aut aperto. Itaque aliqua ex parte similis est talis habitus illi, quem commendat rusticis hieme gestandum Hesiodus Opp. et D. 541. verbis:

> πρωτογόνων δ' ἐρίφων, ὁπόταν κρύος ὥριον ἔλθῃ,
> δέρματα συῤῥάπτειν νεύρῳ βοὸς, ὄφρ' ἐπὶ νώτῳ
> ὑετοῦ ἀμφιβάλῃ ἀλέην· κεφαλῆφι δ' ὕπερθεν
> πῖλον ἔχειν ἀσκητὸν, ἵν' οὔατα μὴ καταδεύῃ.

Verum id quod hoc Hesiodeo exemplo commoneor, scio quidem pastores apud veteres plerumque ostendi pelle non mollita sed cruda indutos, at hoc tum maxime cadit in caprarios, ut est apud Longum Daphnis ille *δέρμα λάσιον αἰγὸς ἐζωσμένος*, et ap. Theocrit. VII, 15. Lycidas pallii instar *λασίοιο δασύτριχος εἶχε τράγοιο κνακὸν δέρμ' ὤμοισι*, tum vero videndum, ne eiusmodi pellium usus tragicorum spectaculorum aetate in quotidiana rusticorum vita perdiu iam fuerit intermissus. Neque enim earum apud Pollucem in tragico apparatu ullum comparet vestigium, et pellem crudam bovinam sentio equidem inprimis alienam fuisse ab tragicae scenae magnificentia. Sed ne quid monere obliviscamur, Euripideus ille bubulcus ut pastor videtur *pedum*, *χαιόν*, manu tenuisse.

Quo vero tunicae genere alteri duo famuli prodierint induti, ex antiquis quidem scriptoribus producere nihil quicquam licet, quod eius rei intelligentiam patefaciat. Verum magnam habet veri similitudinem, id quod pro certo

et constituto posuit Genellus, servos in tragoediis eodem usos esse vestitu, quo in vita quotidiana. Eum autem constat cerni in *exomide*, quae *χιτὼν ἅμα καὶ ἱμάτιον* appellatur in Etymol. Magn. p. 349., 43. 57. et ab Hesychio s. v. Eius formam docent Salmasii verba haec: *Ita haec erat operaria servorum tunica, ut una quidem parte μασχάλην haberet, in quam bracchium immitteretur, altera vero manuleam non haberet, sed in modum pallii amiceretur et fibula necteretur.* Leguntur illa in commentar. ad Hist. Aug. Script. p. 402. Tametsi autem illud bracchium propter laborandi consuetudinem non manuleatum dextrum fuisse minime latet, promptumque pridem est et propositum omnibus tabula ea, quam videre licet apud Cuper. Apoth. Hom. p. 151., tamen novissime in contrariam partem exposuit Genellus p. 91. Sed haec pervulgata sunt et tractata multifariam ab hominibus vetustis, Salmasio ad Tertullian. p. 404. Meurs. ad Lycophr. 1099. Cuper. l. c. p. 150. sqq. Perizon. ad Aelian. IX, 34. aliisque.

Non est autem praetermittendum, Pollucem ut memoremus eo loco, quo de comoediae vestitu agit, sic scribentem: *τῇ δὲ τῶν δούλων ἐξωμίδι καὶ ἱματίδιόν τι πρόςκειται λευκὸν, ὃ ἐγκόμβωμα λέγεται ἢ ἐπίβλημα.* Scilicet haec tantam apud Genellum (p. 94.) habuerunt auctoritatem, ut, quantumvis in solius comoediae mentione alias etiam l. VII. §. 118. Pollux perseveraret, tamen de eiusdem pallioli in tragoediis usu indubie iam et certissime constaret. Licet autem per se cum quadam veritatis specie sit coniunctum, ut in servorum personis tragoediam putemus non multum discessisse a comoedia, tamen rem, quae nullo alio nititur constituendae fidei fundamento, quam coniecturae levitate aut ambiguitate, proponere tanquam verissimam et testimoniorum pondere confirmatam, ea vero est temeritas. Ceterum *ἐγκόμβωμα* illud, quod sic describit Pollux, fuisse *ταινιῶδες, τὸ μὲν πλάτος κατὰ σπιθαμὴν, τὸ δὲ μῆκος κατ' ὀργυιάν,*

non humeris serviebat et pectori cingendis, sed veluti pensile quoddam velum cervicibus adhaerebat, id quod Genelli suspicionibus longe melius ostendit tabula apud Cuperum l. c. efficta.

## Caput VIII.

### *De choricarum personarum partibus et numero.*

Ὁ χορὸς συνέστηκεν ἐκ γυναικῶν Βακχῶν suis ad Aristophanis grammatici argumentum additamentis ait Barnesius. Quippe rem non sane absconditam praeter fabulae titulum contestantur compellationes, Βάκχαι v. 577. Μαινάδες v. 103. 601. Φοιτάδες v. 163. Nam de Maenadum nomine quum secus sensisset Elmsleius ad v. 52., errorem tamen suum candide professus est ad v. 571. Sed diligenter attendendum est, ne cum his commisceantur *Thebanae Bacchae*, iisdem quidem nominibus frequentissime appellatae (Βάκχαι v. 443. 673. 689. 734. 835. 840. 1028. alias, Μαινάδες 229. 827. 954. 979. et quae sunt huiusmodi alia exempla) sed ab illis prorsus seiunctae, nec in scenam productae, nisi ex minima parte a versu 1166., id quod tractatum est cap. V. Atque hae quidem Καδμεῖαι Βάκχαι, ut est v. 1158., vel Ποτνιάδες, v. 653., illae vero Ἀσιάδες, v. 1167., βάρβαροι γυναῖκες, v. 604., Lydae videlicet ex monte Tmolo, v. 65., oriundae, id quod propter parem ipsius Bacchi originem ita fingitur. Quae Lydia Bacchi et Baccharum origo videtur apud Euripidem, si veritatem sequeris, momentum habere quoddam non sane levissimum, de quo alio forsitan tempore agemus. Sed propter Euripidem accidisse puto, quod inter Baccharum chorum seriores scriptores Lydas peculiariter recenseant, velut Lucianus de Saltat. c. 3. T. II. p. 267. Rtz. Athenaeus V. p. 198. c. Eustathius et Eudocia locis deinceps indicandis. Illae autem in fabula Bacchae constantes Bacchi comites omniumque

itinerum et expeditionum sociae feruntur, stabilis eius *θίασος*, v. 55. sqq. Etenim Bacchum fabulabantur cum primam aetatem mulierum saltationibus ac thiasis omnisque generis voluptatibus insumpsisset, *μετὰ ταῦτα στρατόπεδον ἐκ τῶν γυναικῶν συναγαγόντα καὶ θύρσῳ συνοπλίσαντα στρατείαν ἐπὶ πᾶσαν ποιήσασθαι τὴν οἰκουμένην, καταδεῖξαί τε τὰ περὶ τὰς τελετὰς καὶ μεταδοῦναι τῶν μυστηρίων τοῖς εὐσεβέσι τῶν ἀνθρώπων καὶ δίκαιον βίον ἀσκοῦσι.* Quas expeditiones, ab antiquissimis iam poëtis teste Diodoro III. p. 140. d. Steph. celebratas, recordabere ab ipso Baccho enumerari fabulae huius prologo. Ceterum verba illa sunt Diodori Sic. III. p. 138. de Indorum et barbarorum narrationibus scribentis. Verum historiis Graecorum mandati sunt thiasi non solum feminarum, sed virorum etiam, id quod ab eodem traditur Diod. IV. p. 147. fin. Steph. verbis: *περιάγεσθαι δὲ αὐτὸν* (nempe *Βάκχον φασὶν*) *οἱ Ἕλληνες στρατόπεδον οὐ μόνον ἀνδρῶν ἀλλὰ καὶ γυναικῶν, ᾧ τοὺς ἀδίκους καὶ ἀσεβεῖς τῶν ἀνθρώπων κολάζειν.* Itaque prosecuti sunt *Bacchi*, *Panes*, *Tityri*, *Satyri*, *Sileni*, *Bacchae*, *Maenades*, *Lydae* et quae praeterea recensentur nomina ab Strabone X. p. 717. d. Alm. Aelian. III, 40. cum Perizonii commentariis, Artemidor. Oneirocrit. p. 134. Reiff., Eustath. ad Hom. p. 989, 26. Rom., Eudoc. Violar. p. 87. 118. 119. 120., illustrantur post Casaubon. Sat. Poës. l. I. c. 2. copiosissime ab Creuzero de Symb. et Myth. T. III. §. 18. p. 199. sqq. (§. 10. p. 185. sqq. ed. II.)

Sed ista ne mirere cur hic meminerim, cum ab aliis luculentius exposita, tum forsitan minus idonea, hoc ego caussae sumpsi, quod indaganda videbatur ratio, quamobrem de omnibus ministris muliebres potissimum elegerit Euripides. Neque enim temere hoc et ex voluntate factum esse credendum est, et si feminas, quod animi natura esset mollior, ad tragicos choros statueris aptiores esse iudicatas, verendum ne infirmissimum in hac caussa ad probandum protuleris argumentum. Satyros sane non licuit in scenam

tragicam inducere relicuumque illud genus ridiculum magis et iocosum, quod tragoedia a se segregarat, postquam *διὰ τὸ ἐκ σατυρικοῦ μεταβαλεῖν ὀψὲ ἀπεσεμνώθη*, ut Aristotelis utar exemplo ex Poët. c. IV. Neque ea res praeteriit illum Casaubonum de Sat. Poës. I, 2. p. 29. Ramb. Verum erant in ministris etiam *Βάκχοι*, ab Artemidoro et Eudocia ll. cc. et ab aliis Causaubono allatis commemorati. Quorum debebat esse aliquanto maior dignitas, quam relicui comitatus, quandoquidem Euripidio quodam fragmento ab Porphyrio de Abstin. IV. p. 60. Flor. servato scribuntur haec:

*Ἁγνὸν δὲ βίον τείνομεν, ἐξ οὗ*
*Διὸς Ἰδαίου μύστης γενόμην*
*καὶ νυκτιπόλου Ζαγρέως, βιοτὰς*
*τάς τ᾽ ὠμοφάγους δαῖτας τελέσας,*
*μητρί τ᾽ ὀρείᾳ χεῖρας ἀνασχών,*
*καὶ Κουρήτων*
*Βάκχος ἐκλήθην ὁσιωθείς.*

Vides autem *Βάκχον* nomine hic significari sacrum mysteriorum sacerdotem, eundemque cum nocturno Zagreo coniungi atque adeo cum Rhea, cuius ipsius religio cum bacchica non fortuitum tantum consensum sed summam habere cognationem in Baccharum fabula perhibetur identidem. Et de ipso bacchico cultu Etymol. M. p. 185, 13.: *Βάκχος λέγεται ὁ ἱερὸς Διονύσου ἀνήρ*, et plenius scholiasta Arist. ad Equit. 408.: *Βάκχον δὲ οὐ τὸν Διόνυσον μόνον ἐκάλουν ἀλλὰ καὶ πάντας τοὺς τελοῦντας τὰ ὄργια Βάκχους ἐκάλουν.* Quocirca quid ab religione, ad quam tamen omnia referuntur in fabula, fingi poterat augustius, quam si ad huiusmodi Bacchorum speciem sacerdotes essent sanctis mysteriis initiati, qui chori partes agerent? Aut si hoc minus habeat probabilitatis, quid quod fabularum historiis videri debuit maxime consentaneum, chorum constituere virorum cum feminis consociatione bipartitum? Nam etsi huiusmodi in choris coniunctiones de sola comoedia testetur scholiasta ad Arist. Equit. 586., tamen eam rationem non prorsus ab tragoedia

abhorruisse demonstravit Fr. Welckerus de Aesch. Tril. p. 39. et Append ad hunc libr. p. 66. sqq. Quin idem illud Aeschylum in simili re, in Nutricibus Bacchi, consectatum suspicatur Welckerus. Quamquam non probo coniecturam sine ullo rationis firmamento, ut videtur, conceptam.

At quid istam obscurae rei divinationem molior? Nempe *Bacchas* finxit Euripides chori personas, idque ut faceret, triplicem habuit caussam, unam in ipsa tragoediae natura positam, in vetustissimae antiquitatis vestigiis quibusdam alteram, postremam in religione tum Graecorum universa, tum Atheniensium singulari. Etenim quoniam, in quo summa vertitur dramatis, Penthei puniendi ac discerpendi partes secundum fabulosas historias oportebat feminis assignari bacchantibus, Thebanis quidem illis, appositum erat, quae quasi sacerdotium Bacchi gererent, bacchandique caerimonias carminibus personisque suis tuerentur, comites item fingere muliebres, sed Lydas cum deo adventicias. Tum vero antiquitus iam apud Homerum mulierum comitatus Dionysum sectatur, *τιθῆναι* illae *μαινομένοιο Διονύσοιο* Il. ζ', 132.; et in hymno, qui est in homericis XXV., v. 3. 10. perspicue affertur *Nympharum chorus*, *perpetuus dei thiasus:*

*αἱ δ' ἅμ' ἕποντο*
*Νύμφαι, ὁ δ' ἐξηγεῖτο· βρόμος δ' ἔχεν ἄσπετον ὕλην.*

quorum verborum partem Euripides v. 141. sic expressit quodammodo: *ὁ δ' ἔξαρχος Βρόμιος, εὐοῖ.* Eodem autem pertinet, quod apud Soph. Oed. Col. 671. Rsg. scriptum est:

*ἵν' ὁ βακχειώ-*
*τας ἀεὶ Διόνυσος ἐμβατεύει,*
*θείαις ἀμφιπολῶν τιθήναις.*

Atque eo in muliebri comitatu omnis deinceps Graecorum religio certe hactenus perstabat, ut illarum Bacchi expeditionum praecipuae partes imponerentur Bacchabus, minimae essent virilium comitum, id quod luculentissime videre licet apud Nonnum, qui quoniam sua partim ex antiquissimis hausit fontibus, dare potest satis grave testi-

monium. Is etsi, ut par erat, habet etiam Silenos, Satyros, id genus alios, velut l. XIII, 44. 45. XLIV, 25. XLVI. fin., tamen universus bacchicus exercitus generaliter Baccharum vel Bassaridum nomine comprehenditur, quemadmodum est l. XLIII, 69. 70. Quocirca a Pentheo etiam solae muliebres comites totius gregis instar commemorantur l. XLV, 141—145. Hinc in monimentis Bacchus plerumque conspiciebatur Maenadum choro stipatus, quemadmodum apud Corinthios teste Pausan. II, 7., 5. in templo dei propter hunc effictae erant *Βάκχαι λίθου λευκοῦ.* Nam *ταύτας τὰς γυναῖκας ἱερὰς εἶναι καὶ Διονύσῳ μαίνεσθαι* narrabant.

Maximum vero pondus ad Euripidis consilium sine dubio id habuit, quod et omnia apud Graecos bacchanalia a mulierum maxime coetu peragebantur, et vero Athenis ad sacros mysteriorum bacchicorum ritus feminae potissimum adhibebantur. Diodorus enim Sic. l. IV. p. 148. a. Steph. *διὸ καὶ περὶ πολλαῖς* scribit *τῶν Ἑλληνίδων πόλεων διὰ τριῶν ἐτῶν βάκχειά τε γυναικῶν ἀθροίζεσθαι, καὶ ταῖς παρθένοις νόμιμον εἶναι θυρσοφορεῖν καὶ συνενθουσιάζειν εὐαζούσαις καὶ τιμάσαις τὸν θεόν. τὰς δὲ γυναῖκας κατὰ συστήματα θυσιάζειν τῷ θεῷ καὶ βακχεύειν, καὶ καθόλου τὴν παρουσίαν ὑμνεῖν τοῦ Διονύσου, μιμουμένας τὰς ἱστορουμένας τὸ παλαιὸν παρεδρεύειν τῷ θεῷ Μαινάδας.* Itaque hoc ipsum antiquarum fabularum historiis nitebatur. Exemplo sunt, ut iam praetermittam Thracum illas Maenadas vel Bistonides, notas vel ex Ovid. Met. l. X. in. Dionys. Perieg. 573., primum ipsa Thebana trieterica a Davisio ad Cic. Nat. Deor. III, 23. et Barthio ad Stat. Theb. II, 661. (T. II. p. 593. sq.) idoneis testimoniis comprobata, et sacra bacchica a Pausan. III, 20., 3. perscripta. Porro Thyades illae atticae et delphicae propter orgiorum celebrationem quotannis in Parnassum cedentes, teste Pausan. X, 4, 2. 6, 2. 32, 5. Macrob. Saturn. I, 18. Alludit eo Lycophro v. 207. alienum prorsus in modum a

Tzetza explicatus. Nempe nititur res fama ab antiquis poëtis celebratissima de duplice flamma, quam credebant excitari a Baccho noctu in monte Parnasso cum solito famularum comitatu saltante et utraque manu facem gestante. Mentionem eius iniicere non omisit Euripides Bacch. 306., ubi exemplorum cumulo ab Elmsleio congesto addere potes Eur. Iph. Taur. 1243. Ion. 551. Aristoph. Nub. 603. Catull. Epithal. 386. Nonn. IX, 250. sqq. Sunt eae Maenades maxime Nymphae Coryciae, de quibus vide Pausan. X, 32. Barnes. et Elmsl. ad Bacch. 559.

Sed quod de Atheniensium religione memineram, in eo principalem ad chorum Baccharum constituendum positam puto caussam. Namque tragicos compertum est studiose hoc sectatos esse, ut fabulas suas ad patria instituta patriasque res dirigerent. Euripides autem quam inprimis multa propter spectatorum et popularium gratiam fecerit, exempla proposuit Boeckhius de Trag. Gr. Princc. c. XIV. XV. Quo pertinet, quod in Troad. v. 212. chorum facit optantem, ut in Atticam abducatur ex Troia, non in Laconicam. Ac quemadmodum pompas, quae ab Atheniensibus Delphos mitti solebant, artificiose ad suae Ionis argumentum commodavit, quode egit Hermann. Praef. ad Ion. p. XXXIV., ita credibile quoque est, Euripidem, si quid haberet patrium, ex quo posset similitudinem quandam ducere, hoc in Baccharum fabulam transtulisse popularium gratia. Jam vero Athenis in lege erat, ut Dionysus de ritibus avitis iisque augustissimis coleretur in templo, quod Limnis habebat antiquissimum et sanctissimum. Nam *Λίμναι τόπος ἐστὶν ἐν Ἀθήναις, ἐν ᾧ ὁ τιμώμενος Διόνυσος*, ut ait Harpocrat. s. v. *ἐν Λίμναις*. Hinc ap. Aristoph. Ran. 216. est *Νυσήϊος Διὸς Διόνυσος ἐν Λίμναισιν*, et *Λιμναῖος Διον.* vel *ο ἐν Λίμναις* in Phanodemi exemplo ap. Athen. XI, 465. a. Summa cum pietate de hoc mysteriorum instituto exposuit Demosthenes c. Neaer. p. 1370. sq. Semel quotannis sacra maxima cum caerimonia conficiebantur, *ἅπαξ γὰρ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἑκάστου*

ἀνοίγεται τὸ ἱερὸν Διονύσου, ut est ap. Demosth., et quidem τῷ δωδεκάτῃ τοῦ ἀνθεστηριῶνος, in quo consentit Thuc. II, 15. Quare Creuzerus Symb. et Myth. T. III. p. 321. ed. II. haec mysteria cum Lenaeorum festo perperam coniunxisse arguitur. Ad statas vero has solennesque caerimonias faciendas *muliebre* semper sacerdotii collegium ab Archonte Rege eligebatur. Quarum feminarum grave nomen traditur, vitiose quidem in Etym. M. p. 227., 35. scriptum Γεραῖραι, melius apud Hesych. T. I. p. 819. et Polluc. VIII, 108. Γεραραί, sed rectissime, ut opinor, apud Harpocrationem et in Dindorfiano Demosthenis exemplari Γεραιραί. Earum igitur speciem quin suo Baccharum choro maxime consequi studuerit Euripides, iam non multum dubito, praesertim cum eiusdem collegii numerus apprime convenerit cum usitato chori personarum choro. Nempe feruntur quidem lectae esse sacerdotes tantummodo XIV, adaequato ad aras in Dionysi templo numero, ut est apud Dionysium in Etym. M. l. c., verum sacra curarunt adhibita alia quadam sacerdote. Nam verissime Hemsterhusius in Pollucis exemplaria reducendam esse vidit scripturam eam, qua haec habentur verba integra: Περὶ Γεραρῶν· αὗται ἄρρητα ἱερὰ Διονύσῳ ἔθυον μετ' ἄλλης ἱερείας. καθίστη δὲ αὐτὰς ὁ βασιλεὺς οὔσας τεσσάρα καὶ δέκα. Illam autem, quae accessit, sacerdotem fuisse Regis coniugem, unicuique patere debet ad Demostheneum illum locum diligentius attendenti. Moneo hoc propter Creuzerum, cui minus erat perspectum, quamquam antea iam inventum ab Frereto ap. Sanctocrucium de Myst. Ant. p. 276. Lentz. Nam Regis marita non solum iureiurando constrinxit ceteras feminas, sed eadem consecrabatur deo et sacrificia secreta faciebat: ἐξεδόθη τῷ Διονύσῳ γυνή, ἔπραξε δὲ ὑπὲρ τῆς πόλεως τὰ πάτρια τοὺς θεοὺς πολλὰ καὶ ἅγια καὶ ἀπόρρητα, verbis Demosthenis. Itaque hac adiuncta quoniam conficiebatur numerus XV sacerdotum, opportunissimum hoc accidit, quo posset usitatus chori tragici personarum nu-

merus consociari cum fabulae rationibus. Etenim chorum scis tradi XV personas more recepto comprehendisse. Pollux IV, 108. *Μέρη δὲ χοροῦ στοῖχος, ζυγόν. καὶ τραγικοῦ μὲν χοροῦ ζυγὰ πέντε ἐκ τριῶν, καὶ στοῖχοι τρεῖς ἐκ πέντε. πεντεκαίδεκα γὰρ ἦσαν ὁ χορός.* Cum quo facit schol. ad Arist. Equ. 586. ad Av. 298. Jam huic numero intelligis quam non satisfieri deberet, si bacchicas historias Euripides secutus totum Baccharum exercitum in scenam induxisset, id quod tum reapse fieri non potuisse, tum si qua similitudine expressum, at certe ridicule, non diffiteare. Nam cum hic fere reminiscare Aeschylium illum Quinquaginta Furiarum chorum, eum fide prorsus destitutum satis docuit Hermannus. Itaque veritatis cum tragica lege repugnantiam illa XV bacchicarum sacerdotum ratio si non sustulit, occultavit tamen.

Verum hic non possum non cum Welckero in Trilog. Aesch. p. 64. commonere, quam parum adhuc in scenicorum chororum historiam et vim sit inquisitum. Praeter enim quam quod de saltationum arte et generibus, si exceperis nomina quaedam nihil quicquam compertum habemus, etiam illa de numero tragici chori quaestio digna est, quae deintegro accuratius excutiatur et perpendatur. Etsi enim tantum quidem constat, eum nunquam potuisse XIV vel XIII personis contineri, id quod Boeckhium de Tr. Gr. Pr. p. 60. 75. posuisse vehementer miror, in duplicem tamen partem licet quaerere, primum quae sit ratio numerorum XII et XV, utrum aliqua in his temporum distinctio an nulla, deinde quanto personarum numero antiquitus, ante Aeschylum, usus videatur chorus tragicus, utrum in eo legis cuiusdam constantia, an arbitratu suo nixi sint poëtae. Quid si ne id quidem exploratum est, cui auctori tribuenda sit numeri XV personarum constitutio? Sophoclem perhibent Suidas s. v. *Σοφοκλῆς*, et qui vitam eius conscripsit grammaticus; sed Aeschylum non minus scimus XV personis usurpasse. Quapropter Boeckhius a Sophocle imminutum potius credidit illum numerum. Id

quidem negavit Hermannus, recte opinor; ceterum rem in medio reliquit Diss. II. de Chor. Eumen. p. 5. Sed quid ille caussae censeatur sumpsisse, qui primus in his quippiam novavit? Suam de eo quandam sententiam, positam in Lachmanniana illa numeri septenarii inventione, significavit magis quam explicavit Welckerus l. c. p. 65. Sed Boeckhius quum illud posuisset, quod supra diximus, non solum XIV personas in Euripidis Supplicibus indagare sibi visus est, sed etiam post inventas XV non repudiatum duodenarii numeri usum. In quo priore quidem Hermanni praeposteram, ut credo, tulit approbationem, non item in ceteris. Neque quae Boeckhius c. VII. Euripidis proposuit exempla, ita comparata sunt, ut de veritate persuadeant. Nam in Ione quidem meliorem Hermannus dedit personarum descriptionem, necdum indubiam. In Alcestide autem si quis eam anticipavit opinionem, ut de XII personis cogitet, potest sane descriptionem totidem singularum extricari; verum potest item, qui XV sumpsit, singulos sermones ad suam dirigere sententiam, cuius rei documento est Hermanni ratio; potest adeo, qui maiorem etiam numerum ponere animum induxerit, sermonum quadam descriptione suam defendere caussam. Quapropter commento hoc, ut quod plane arbitrariis subnixum anticipationibus sit, abiecto, Euripides an unquam XII personas usurparit, valde dubito. Aeschylum sane in Prometheo Soluto chorum XII Titanum constituisse, quantumvis reniso Hermanno, assentiendum tamen est Welckero Tril. p. 39. et maxime in huius libri Append. p. 67. ss. Verum ut cum Soluto Vinctus Prometheus trilogiae vinculo fuerit coniunctus, tamen hinc non eadem chori ratio in hac fabula consectaria est. Nam quemadmodum ceterarum personarum numerus non necesse erat accommodatus esset ad relicuas eiusdem trilogiae fabulas, ita in choro etiam, si personarum erat discrepantia, eadem numeri debebat esse permissa. Prorsus autem ab tragoediae consuetudine alienas fuisse XIII vel XIV personas, levis ostendit recordatio eorum, quae de τετρα-

γώνῳ σχήματι chori scripta reperiuntur in Etym. M. p. 164., 4., ap. Dionys. Thrac. in Villois. Anecd. T. II. p. 178. Nam ex XIII quidem personis nunquam efficitur quadrati forma, ex XIV tum demum, quum aut binae quaeque aut septenae sunt compositae: id quod vel iccirco aspernati sunt Graeci, quod ad Aeschyli famosum illud σποράδην proxime accederet. Quapropter quoniam ap. Dionysium Thracem leguntur haec, οἱ μὲν γὰρ χορευταὶ ἐν τετραγώνῳ σχήματι ἱστάμενοι τὰ τῶν τραγικῶν ἐπεδείκνυντο· ἦσαν δὲ τραγικῶν χορευταὶ δεκατέσσαρες, τῶν δὲ κωμικῶν κδ', miram verborum inter se repugnantiam ecquis non perspiciat? Nempe culpam contraxit non scriptor ipse, sed librarius is, qui primus eo loco, quo nunc prave positum est δεκατέσσαρες, pro τέ propter vicinum κδ' rescripserat ιδ'. Quam autem Hermannus Praef. ad Suppl. p. XVII. excogitavit XIV personarum stationem, qua occultata quodammodo sit usitati numeri neglectio, ea paullum est inficetior. Scilicet illam usitati numeri neglectionem credibile est in variis saltationum figuris etiam atque etiam latuisse occultatam? Evitasse vero Graecos, quae ab aurium comprobatione abhorrerent, non quae ab oculis? Neque Euripides necesse habuit in suo Supplicum choro quicquam occultare. Nam legitimum XV personarum numerum post ea, quae Reisigius Enarr. Oed. Col. v. 1308—1320. significarat, rite evicit Maur. Axtius in Programm. Cliviens. a. MDCCCXXVI. Sed haec hactenus.

# Caput IX.

## *De apparatu bacchico in universum deque instituenda hac disputatione.*

Nunc quoniam eo perventum est, ut exponatur, qua specie, quove cultu in scena comparuerint Bacchae, res ipsa hortari videtur, ut paullo supra repetendo de bacchico

apparatu prius universa quaedam disputentur, quam de chori habitu agam sigillatim. Namque cum tanta sit instrumentorum sacrorum in bacchica religione multitudo et varietas, ut ne potuerint quidem omnia ad fabulae personas adhiberi, túm vero nonnulla ita sunt comparáta, ut quamvis ad Thebanarum Maenadum indolem sint accommodata, tamen debeant ab chori dignitate aliena iudicari. Quocirca si dupliciter animus est attendendus, ut et choricarum personarum species describatur et ceterarum Baccharum ab illis diversarum, post universam demum apparatus bacchici enarrationem recte intelligetur, quid ad alterutram partem sit ascitum aut quid repudiatum, quave caussa ita videatur esse factum. Neque tamen hoc commentandi genere plenissimam exhibere conabimur omnium rerum bacchicarum recensionem, videlicet praeter necessitatem facturi, si quorum nulla est in dramate Euripidio memoria, ea etiam copiose persequi vellemus. Sed quoniam apud Nonnum l. IX. versibus 113—131. plurimae apparatus eius partes coniunctae enumerantur, eius loci tanquam fundamento licet in hac disputatione uti. Totum igitur huc transscripsimus:

*καὶ πινυτὴ θεράπαινα, φερώνυμα μύστιδι τέχνῃ*
*ὄργια νυκτελίοιο διδασκομένη Διονύσου,*
*καὶ τελετὴν ἄγρυπνον ἐπεντύνουσα Λυαίῳ,*
*πρώτη ῥόπτρον ἔσεισεν, ἐπεπλατάγησε δὲ Βάκχῳ*
*κύμβαλα δινεύουσα περίκροτα δίζυγι χαλκῷ·*
*πρώτη νυκτιχόρευτον ἀναψαμένη φλόγα πεύκης,*
*εὔϊον ἐσμαράγησεν ἀκοιμήτῳ Διονύσῳ·*
*πρώτη καμπύλον ἄνθος ἀναθρέψασα κορύμβων*
*ἄπλοκον ἀμπελόεντι κόμην μιτρώσατο δεσμῷ·*
*αὐτὴ δ᾽ ἔπλεκε θύρσον ὁμόζυγον οἴνοπι κισσῷ,*
*ἀκροτάτῳ δὲ σίδηρον ἐπεσφήκωσε κορύμβῳ,*
*κευθόμενον πετάλοισιν, ὅπως μὴ Βάκχον ἀμύξῃ·*
*καὶ φιάλας γυμνοῖσιν ἐπὶ στέρνοισι καθάψαι*
*χαλκείας ἐνόησε καὶ ἰξύϊ δέρματα νεβρῶν.*
*καὶ τελετῆς ζαθέης ἐγκύμονα μύστιδα κίστην*
*παίγνια κουρίζοντι διδασκομένη Διονύσῳ,*
*πρώτη ἐχιδνήεντα κατὰ χροὸς ἧψεν ἱμάντα*
*σύμπλοκον· εἱλικόεις δὲ δράκων περὶ δίπλακα μίτρην*
*ἅμματα κυκλώσας ὀφιώδεϊ κάμπτετο δεσμῷ.*

Secutus sum exemplar Graefii, praeterquam quod v. 120. pravum ἀναδρέψασα, typothetae ut videtur vitium, emendatius scripsi. Vides autem bipartitam esse hanc bacchicae religionis supellectilem, praeberique instrumenta partim *ad ornatum cultumque corporis pertinentia*, partim *musica*. Quorum quae ad prius genus referuntur, δέρμα νεβρῶν, θύρσος, καμπύλον ἄνθος κορύμβων, ἄπλοκος κόμη, φιάλαι, μύστις κίστη, ἐχιδνήεις ἱμάς, εἱλικόεις δράκων, φλὸξ πεύκης, praeter duo inveniuntur pleraque omnia in tragoedia Euripidea.

Sed prius quam pro se quamque rem pertractemus, commemorandi sunt recentiorum quorundam libri, in quibus exstant de hac materia disputata. Ac Salmasium quidem etsi sciebam in Exercitatt. Plin. p. 379. 908. et in Homonymis Iatrices Hyles p. 3. in simili disputatione esse versatum, usurpare tamen nunc non licuit, tum autem, cum licuit, nesciebam: nec quos Barnesius ad Eur. Bacch. v. 25. affert, Dempsterum ad Rosin. II, 11. aliosque vetustiores. Omnium vero aegerime desideravi Scharzium, cuius Miscellanea Humanitatis politioris identidem inveni in hanc rem citata. Praeter Casp. autem Barthium ad Stat. Theb. II, 74., Tom. II. p. 294. sqq., testimonia suppeditavit nonnulla Is. Casaubonus de Satyr. Poës. p. 70. sqq. cum Rambachii notis. Brevior in his est Creuzerus de Mythol. et Symbol. Tom. III. p. 110. sqq. (p. 93. ed. II.) Dicis caussa nomino etiam Moserum in animadvv. ad Nonni illos, quos supra scripsimus, versus. Relicui suo quisque loco infra memorati sunt.

---

## Caput X.

### *De ea apparatus parte, quae ad corporis ornatum cultumque pertinet.*

Ad inceptum redeo. Ac primum agendum est de *nebride* vel pelle hinnulea.

Cum in bacchica religione praecipue esset usitatum atque eius paene solius proprium, ut qui sacra instituerent, bestiarum pellibus amicti procederent eius moris caussa cerni videtur in caerimoniarum et origine et natura. Namque origo petenda manifesto est de regionibus montuosis et sylvestribus, cuiusmodi locis maxime delectari existimati semper sunt, qui orgia celebrarent. Caerimoniae vero ipsae feritatis summam quandam et immanitatis speciem prae se ferunt, quae ipso pellium usu significatur quodammodo. Quippe cursibus montivagis ac sylvestribus belluas excitare, coniicere, discerpere atque adeo devorare crudas, ea inprimis putabatur bacchica laetitia. Quorum rituum cognitionem innumerabilia Nonni patefaciunt in Dionysiacis testimonia, ex quibus unum commemorasse sat habemus l. IX. v. 170. sqq. Quare eorum identidem in Euripidia fabula facta est vel commemoratio vel significatio, velut v. 139. 1250. et qui maxime versantur in bacchicis rebus describendis verss. 678—773. Erant autem duarum maxime ferarum pelles, quarum usus erat in orgiis dionysiacis, pantherarum videlicet et hinnulorum. Nam his bestiis inprimis delectabatur Bacchus. Et pantheras adeo fabulabantur fuisse principio Maenadas, quemadmodum est apud Oppian. Cyneget. IV, 33.

*πορδάλεες νῦν μὲν θηρῶν γένος, ἀλλὰ πάροιθεν*
*οὐ θῆρες βλοσυραὶ, χαροπαὶ δ᾽ ἐπέλοντο γυναῖκες*
*οἰνάδες, ἰσχοφόροι τριετηρίδες, ἀνθοκάρηνοι,*
*Βάκχου φοιταλιῆος ἐγερσιχόροιο τιθῆναι.*

Eas a Baccho magnopere adamatas testatur Philostrat. Imag. I, 19. p. 793. sic: *τὴν δὲ πρώραν ἐς χρυσῆν πάρδαλιν εἴκασταί τε καὶ ἐξῆκται· φιλία δὲ τῷ Διονύσῳ πρὸς τὸ ζῶον.* Quapropter currui, quo Bacchus vehitur, iungi solent. Eudocia Viol. p. 120. *τὰς δὲ παρδάλεις ὑποζευγνύασι τῷ Διονύσῳ καὶ παρακολουθούσας εἰςάγουσιν.* Exemplo sunt Nonnus IX, 189. Lucianus Bacch. c. 2. T. III. p. 76. Rtz. Et in marmoribus earum belluarum figurae plerumque sunt expressae, velut apud

Zoëgam tab. 74. Bacchus vehitur panthera, et in pompa Dionysi nuptiali apud Viscont. Vol. IV. tab. 24. Ariadna curru pantheris iuncto portatur. Itaque ipse Bacchus est *δοραῖς παρδαλέων* ornatus ap. Diodor. Bibl. IV. p. 148. d.

Sed videntur pantherarum pelles minus ad muliebrem ministerii bacchici partem esse accommodatae, quam ad virilem, Faunos maxime et Satyros, ut est ap. Zoëg. tab. 6. Nam Maenades apud scriptores quidem rarissime, in monimentis autem nunquam ita reperiuntur amictae. Auctorem scio unum Nonnum l. XIV, 357. Contra fit in *nebride*, in qua maxime Baccharum cernitur statum ac solenne ornamentum. Eaque ad Euripidium bacchantium apparatum sola est pellis adhibita, Tiresiaeque et Cadmo attributa. Quare ne a Bacchi quidem habitu seiungendam duximus in superioribus, cui sententiae nunc firmamenta addere licet praeter Orpheum, Diodorum et Claudianum, quorum infra posuimus exempla, incerti auctoris epigramma, CCLI. in Anal. Brunck. III. p. 203., et quod in Bacchi statuam factum est, Procli Lycii epigr. V. in Anal. II. p. 446. *Nebrides et fragiles thyrsos* a Statio Theb. II, 664. memoratas scholiasta Lutatius ait esse *armaturam Bacchi.* Ipsum deum *νεβριδόστολον* appellat Orpheus hymn. LII, 10. Quae sunt apud Nonnum eius rei documenta permulta omittimus; de marmoribus antiquis sufficit unam attulisse tabulam VII. ap. Zoëgam.

Sed proinde ut in Bacchum ita in eius ministros ad unum omnes cadit is nebridum vestitus. De Silenis, Satyris, Faunis Nonni Dionysiaca testimonio sunt plus sexcenties, et ante oculos propositus est talis Faunus apud Viscontium Vol. III. tab. 42. Porro Panem, quem pervagatum est fuisse ex numero sectatorum Bacchi, epigramma scribit CXXIV. in Anal. III, 175. Echus amore captum Baccho nebridas suas dedicasse. Neque Amor, cum ad Bacchum accessurus Sileni formam induit, nebridis amictum asciscere

omittit ap. Nonn. XI, 353. Cum autem inprimis Baccharum hoc esset *ἱερὸν ἔνδυτον*, ut est apud Eurip. v. 137., frequentissima in illis est eius mentio a scriptoribus iniecta. Attamen in marmoribus rarius animadverti Bacchas praeberi in hanc speciem ornatas, plerasque sine ullo pellium indumento. Exempla vero scriptorum de multis enotare licet haec: Oppian. Cyneget. IV, 245. Lucian. Bacch. c. 1. p. 75. Tom. III. Rtz. Apud Phalaecium epigramm. III. Anal. I. p. 421. ab Bacchae Euanthae apparatu non abest *σκύλος ἀμφιδόρου στικτὸν ἀχαιΐνεω*, nec ab Cnidiae Bacchae Porphyridis. Eadem erat species Sidoniae reginae, cum orgia esset celebratura, ap. Ovid. Metam. VI, 592. Itaque apud Euripidem Thebanas quidem Maenadas hoc pellium genere cinctas esse certum est propter vv. 695. 697.; de choro autem videbimus deinceps. Sed omnino nebrides tantam habuerunt vim, ut ad omnia propemodum dei tum publica sacra tum initia secreta adhiberentur ex ritibus institutisque sanctissimis, quode v. Barthium ad Stat. ll. cc. et Intt. ad Harpocrat. s. v. *νεβρίζων*. Id ipsum *νεβρίζειν* verbum, quod proprie est *τὸ νεβροῦ δέρμα φορεῖν* secundum Etym. M. p. 599, 47., de conficiendis nocturnorum Bacchi orgiorum caerimoniis est dictum, ut ab Demosth. de Cor. p. 313. ubi vide interpp. et Lobeck. de Morte Bacchi Part. II. p. 4. Simili ratione factum est, ut *νεβρίτης* lapis ad Bacchum referretur ab Orpheo in Lithic. 742. verbis:

*ἔνθεν ἐγὼν ἐδάην καὶ βακχικὰ νεβρίταο*
*δῶρα λίθου, Βρομίῳ κεχαρισμένα.*

Est autem *νεβρίς*, *νεβροῦ δέρμα* pellis hinnuli versicolor et maculis distincta. Eustath. ad Dionys. Perieg. v. 700. *πολύχροοι γὰρ καὶ αἱ νεβρίδες καὶ ποικίλαι τοῖς στίγμασιν*, et infra paullulum, *ποικίλον δὲ ἡ νεβρὶς διὰ τὸ πολύστικτον.* Eustathii verba mutuata est Eudocia in Viol. p. 122. Ceterum vide Schneiderum ad Oppian. Cyneg. II, 403. Eaque coloris varietas plerisque solet vocabuli illius additamentis designari, quo spectant *ποικίλαι*

*νεβρίδες* in Eur. Bacch. v. 249., *νεβρῶν παμποίκιλοι στολίδες* Helen. v. 1375., *στικταὶ* Bacch. 111. 832. Nonn. XI, 353. *Sylvestrem exuviam pictam* dixit Attius in Bacch. fragm. 12. p. 189. Both. Neque desunt eius rei quaedam explicationes. Nempe maculis illis, ut placitum est Orphicis, quasi involuta ostendebatur imago coeli stellarum varietate distincti: id quod docetur in Orph. Apospasm. VII. v. Gesner. modum in hunc:

αὐτὰρ ὕπερθε νεβροῖο παναίολον εὐρὺ καθάψαι
δέρμα πολύστικτον θηρὸς κατὰ δεξιὸν ὦμον,
ἄστρων δαιδαλέων μίμημ' ἱεροῦ τε πόλοιο.

quae imitatione sic expressit Nonnus IX, 186.

δαιδαλέην ἐλάφοιο φέρων ὤμοισι καλύπτρην,
αἰθερίων μιμηλὸν ἔχων τύπον αἰόλον ἄστρων.

Refert idem Diodor. Sic. I. p. 7. d. Steph. vel c. 11. p. 34. Wessel., ut video apud Lobeckium iisdem exemplis usum de Morte Bacch. l. c. At discrepantem explicationem tradunt Eustathius et Eudocia ll. cc. hanc: *αἱ δὲ διονυσιακαὶ νεβρίδες τὴν τῶν σταφυλῶν ἐν χρόᾳ αἰνίττονται πολυείδειαν· — — — ἢ καὶ διότι ποικίλοι τὰ εἰς νοῦν διὰ τὸ εὐμετάβολον οἱ μεθύοντες.* Ab utraque sententia discedit scholiasta Eurip. ad Phoen v. 798. Sed mitto haec commenta.

Jam vero scopulosus difficilisque proponitur Euripidis locus, qui quomodo sit accipiendus, multum et varie est quaesitum. Namque ambigitur, quid Bacch. v. 111. significent verba haec:

στικτῶν δ' ἔνδυτα νεβρίδων
στέφετε λευκοτρίχων πλοκάμων
μαλλοῖς.

Atque cum ab Elmsleio desperata res esset, explicationem periclitatus est Hermannus. Sed utrumque praeterierant, quae iam in eam partem commentatus erat A. Lobeckius ad Sophocl. Aiac. p. 359. sq. Verum ea occasione Nonnum mirari satis non queo, siquidem ille est acerrimus Euripidis sectator, cur illud exemplum minus consequi

voluerit imitatione. Nam illud quidem nauci est habendum, quod de lacuna in lib. XIV. v. 360. coniecit Hermannus. Sed recolimus deinceps eiusdem dicti memoriam. In re vero expedienda quae primum Elmsleio iniecta est cogitatio de ἐριοστέπτοις νεβρίσιν, ea non sane absona est et suscepta etiam ac dilatata ab Hermanno. Namque μαλλός si principio quidem est *villus* vel *cirrus*, tamen universe tum dicitur de *lana*, quoniam eadem est villosa, transferturque etiam ad *crispatum* hominum *crinem*. Ita Hesychius μαλλὸς ait τὸ ἔριον, καὶ ἡ καθειμένη κόμη, et Orion in Etym. p. 100., 12., secundum quem depravata verba Etymologici Gud. p. 378, 56., corrigenda sunt, μαλλὸς ἐπὶ τῶν πλαγίων τριχῶν τῶν τῆς κεφαλῆς· εἴρηται δὲ ἀπὸ ἐμφερείας τῶν τοῦ προβάτου μαλλῶν. Et πώεα ἄδην βεβριθότα μαλλοῖς afferuntur ab Dionys. Perieg. v. 1033. Quare cum λευκοτρίχων πλοκάμων μαλλοί merito possint accipi de ἐρίοις vel στέμμασι, quae ad sacros quosdam ritus adhibentur, tum vero confirmatur ea interpretatio usu Aeschylio. Nam quod est, *ramos supplices vittis laneis coronare*, id ille dixit eodem adeo usus cum Euripide verbo, μαλλῷ στέφειν, Eumen. v. 45.

ἐλαίας θ᾽ ὑψιγέννητον κλάδον
λήνει μεγίστῳ σωφρόνως ἐστεμμένον,
ἀργῆτι μαλλῷ.

At vero si de eiusmodi fasciis laneis Euripidem cogitasse sumamus, nullam tamen circumspicere licet rationem, qua apte existimentur nebridum tegumentis applicatae. Etenim quod Hermannus excogitavit, fascias eundem praebuisse colligandi usum, cui alioquin servierint ipsarum pellium prominentes quaedam partes, id visum est tum minutius quaesitum tum loquendi consuetudini contrarium. Nam *colligandi* vel *conserendi* significatus et dubito an unquam queat evinci, et vero Hermanni exempla intelligo plane esse abhorrentia. Sunt autem, alterum Aeschyli Sept. c. Theb. 49. hoc: μνημεῖά θ᾽ αὐτῶν τοῖς τεκοῦσιν ἐς

6*

δόμους πρὸς ἅρμ' Ἀδράστου χερσὶν ἔστεφον, Euripidis alterum ex Hel. 1376. hoc: κισσοῦ (ita enim scribo) τε στεφθεῖσα χλόα νάρθηκας εἰς ἱερούς. Sed praetermissa est ab Hermanno constructionis discrepantia, cum aliud sit στέφειν τι πρός τι vel στ. τι εἴς τι atque στεφ. τί τινι. Itaque illis exemplis in aperto est positum, si oportet de ligando cogitare, convenire potius *alligare* vocabulum quam *colligare*. At στέφειν τί τινι semper est *coronare* vel *ornare aliquid aliqua re*, quemadmodum in Eurip. Alcest. 762. στέφετε κρᾶτα μυρσίνης κλάδοις, et Meleagr. fragm. VI, 2. ap. Beck. βότρυσιν ἔστεψεν κάρα. Nec cum hac coronandi vel ornandi significatione, quae est propria ac principalis, pugnant illa exempla. Nam cum id, quod est *alligare*, adiectionibus demum praepositionum πρός et εἰς efficiatur, vera illarum constructionum interpretatio continetur circumlocutione hac: *aliquid tanquam coronam vel ornamentum appingere ad aliquid.* Quid quod Euripidiam quidem loquendi rationem (adiungo enim hoc opportunitatis gratia) apprime licet consequi vernacula quadam imitatione, sed illa non metrica, hac: *und gekränzt an die heiligen Stäbe des Epheus Grün.*

Haec igitur cum ita sint, multo videtur praestare Lobeckii sententia: et commendatur eadem simplicitate quadam. Is enim λευκοτρίχων πλοκάμων μαλλοῖς στέφειν νεβρίδας paene ad verbum interpretatus accepit de *villis laneis*, dixit ipse *penicillos, quibus ornarentur et quasi distinguerentur nebrides;* quem morem veteres etiam in mastrucis suis secuti sunt. Quapropter etsi pelles illae suapte iam natura erant variegatae, tamen assuendis villis laneis tum maiorem volebant efficere coloris varietatem, tum vero etiam propriam quandam significare illius ornatus sanctitudinem. Namque videtur in lana sanctimoniae cuiusdam et pietatis nota esse posita, cum ea ad variam caerimoniarum rituumque sacrorum supellectilem soleret accommodari, velut ad ramos supplicantium, infulas sacerdotum et victimarum, id genus instrumenta alia. Nec

omittendum est id quod *μαλλοί* alias etiam servirent indumentis ornandis. Etenim erant *μαλλωτοὶ χιτῶνες*, hirtae villosaeque tunicae, et *ἀμφίμαλλοι*, utrinque villosae, de quibus Pollux VII, 57. sic scribit: *ὥσπερ τὸν ἀμφίμαλλον χιτῶνα δασὺν, καὶ χιτῶνα μαλλοῖς δασὺν καὶ ἀμφίμιτον. Πλάτων δ' ἐν Ταῖς ἀφ' ἱερῶν καὶ μαλλωτὰς χλαμύδας εἴρηκεν, ὥστε οὐδὲν ἂν κωλύοι εἰπεῖν καὶ μαλλωτὸν χιτῶνα.* Id genus Silenis maxime et Satyris tributum est in dramate satyrico, et vulgarius habet nomen *χορταῖοι χιτῶνες*. Ita tradit Dionys. Hal. Arch. Rom. VII. p. 1491. Rsk. Copiosius illustrant Casaub. de Sat. P. I, 4. p. 107. Ramb. Perizon. ad Aelian. III, 40. Intt. ad Hesych. s. v. *χορταῖος* Tom. II. p. 1562. Sed si quam habebant similitudinem nebrides villis distinctae cum hirtis illis tunicis, tamen maximopere discessisse putandae sunt eo, quod cirri essent longe rarius assuti, quam in tunicis Satyrorum villorum quadam densitate insignibus.

Restat etiam alia ratio, qua villorum ornamentum pellibus hinnuleis additum videatur. Nam qui orae vestium non raro praetexebantur limbi vel fimbriae, ii vulgo *σίλλυβοι* vel *σίλλυβα* vocati, tum propter speciem crispatam tum propter laneam naturam etiam *μαλλοί* dicebantur. Versatus in hac re est Salmas. ad Hist. Aug. Script. p. 128. a. Eius vero consuetudinis similitudine factum esse quis coniiciat, ut ad oras nebridum item huiusmodi villosae fimbriae assuerentur, quem ornandi morem ab Euripide significatum esse verbis *λευκοτρίχων πλοκάμων μαλλοῖς στέφειν.* Attamen prior explicandi ratio propius ad veritatem accedere videtur, cum similem in modum alia ad decus et ornamentum nebridibus adiungerentur subsidia. Quemadmodum *gemmis distincta* fertur Bacchi ipsius nebris ap. Claudian. de IV. Cons. Honor. 228.

*Talis Erythraeis intextis nebride gemmis*
*Liber agit currus.*

Et ap. Plutarch. Symp. IV, 5. p. 672. *νεβρὶς χρυσόπαστος* tribuitur pontifici maximo ut bacchorum chorago.

Suppeditavit haec exempla Lobeckius. Potest autem iisdem fere quis ad coniecturam duci de Bacchi scenici nebride prae ceterarum personarum multo splendidiore atque elegantiore. Sed in his nebridum ornamentis occurrit etiam animo, quae ab Agathia epigrammate supra citato affertur Porphyridis *κισσωτὴ νεβρίς*. Cuius quidem adiectivi quae sit ratio, non satis liquet, cum duplex pateat explicandi via. Nam in incerto relinquo, utrum poëta illud voluerit simplex esse, quod grammatici vocant, epitheton ornans, eo fere additum consilio, ut excitata memoria hederae Baccho maxime adamatae nebris designetur tanquam instrumentum inprimis bacchicum, an pellis vere debeat fingi coronis hederaceis exornata.

Restat ut videamus de rationibus nebridis induendae. Plerumque sic appensa describitur corpori, ut duabus quibusdam laciniis in dextro humero, *κατὰ δεξιὸν ὦμον* Orph. fragm. supra cit., consertis per pectora deinceps transmissa ampliorem sui partem de sinistro latere demittat. Ita est apud Nonn. XI, 233. *ὑψόθεν ὤμου νεβρίδα καὶ ψυχροῖσιν ἐπὶ στέρνοισι καθάψας*. Ovid. Met. IV, 6. *pectora pelle tegi.* Agathias: *κισσωτὴν στέρνοις νεβρίδ' ἀναπτομένη*. Et de sinistro latere Ovid. l. c. VI, 592. *Lateri cervina sinistro vellera dependent.* Attii fragment. ex Bacch. *Tum sylvestres exuvias laevo pictas lateri accommodant*, quod cum alio eiusdem poëtae fragmento Boeckhius de Trag. Gr. Princ. p. 312. coniungens universa non male constituit sic:

*Deinde ab iugulo pectus glauco pampino*
*Obnixe obtexunt: tum pecudum sylvestrium*
*exuvias laevo pictas lateri accommodant.*

Simile quid Bothius se vidisse profitetur Fragm. Poët. Scen. p. 189. Ad eandem autem lacinias in humero constringendi consuetudinem proculdubio spectant Eurip. fabulae v. 695. et sqq.

νεβρίδας ἀνεστείλανθ', ὅσαισιν ἁμμάτων
σύνδεσμ' ἐλέλυτο, καὶ καταστίκτους δορὰς
ὄφεσι κατεζώσαντο λιχμῶσιν γένυν.

Nam *ἁμμάτων σύνδεσμα* intelligo de nodorum connexu, quamquam simplicissimum hoc interpretandi genus repudiavit Bernhardius ad Dion. Perieg. v. 703. Ceterum illud monere vix operae pretium censemus, quod pellis est super relicuo vestitu tegumentum. Nonnus XII, 353. *καὶ Σάτυροι στικτὰ περισφίγξαντες ἐπωμίδι δέρματα νεβρῶν.* Sed in marmoribus antiquis non raro discrepat induendi ratio. Baccho ipsi apud Zoëg. tab. VII. nebris in sinistro humero constricta de latere dextro dependet. Eadem est species Maenadis ap. Viscont. Tom. IV. tab. 26. Sed similis ei, quam modo tractavimus, comparet ratio in Satyro apud Viscont. Tom. III. tab. 42., ita tamen ut pellis pars capitalis traiecta sit de bracchio sinistro. Plane peculiarem in modum, neque indecorum illum sed variae implicationis artificio elegantem, nebris applicata est Bacchae apud Viscont. Tom. IV. tab. 20. In Baccha apud Winckelmann. Mon. Ined. tab. 53., quae prorsus obiicitur *commotis excita sacris*, ut est in Virgil. Aen. IV, 301., paullo effusior pellis amictus ex praecipiti furoris impetu aptus est. Quae autem Centauro vehitur ap. Viscont. Tom. IV. tab. 25. c. Baccha sic utitur nebride, ut ea videatur tunicae instar induta potius et cingulo etiam astricta, quam appensa lateri. Cuius similem speciem descripsit Nonnus XIV, 358.

*ἐτέρη δὲ κατὰ χροὸς οἷα χιτῶνα*
*στικτὰ φιλοσκοπέλων ἐνεδύσατο δέρματα νεβρῶν,*
*δαιδαλέης ἐλάφοιο περισφίγξασα χιτῶνα.*

Quibus in verbis servavi alterum *χιτῶνα*, adversante quidem Graefio, sed commendante sententiae quadam subtilitate. Nec dissimilem induendi rationem proponunt Procli Lycii in epigramm. V. Anal. II, 446. verba haec:

*καὶ στικτὴν νεβρίδων ἀμφικρεμῆ χλαμύδα.*

Accedit item Phalaecii *σκύλος ἀμφιδόρου στικτὸν ἀχαιΐνεω*, siquidem recte Kusterus apud Jacobs. in Animadvv. ad Anthol. Vol. I. P. II. p. 247. *ἀμφίδορος* vertit *totum corpus ambiens.* Postremo nebridem cingulo vinctam ra-

riuscule inveneris; sed testatur Orpheus in Apospasmate iam aliquoties usurpato, versu hoc:

αὐτὰρ ὕπερθε νεβροῖο χρύσεον ζωστῆρα βαλέσθαι.

Perventum est ad *thyrsum*. In quo tralaticium est quam cernatur de omni relicuo supellectile maximum quoddam bacchicae religionis momentum. Quo fit, ut et in hac fabula omnibus fere communiter personis bacchicis sit attributus, nec a Baccho in scena fuerit seiunctus. Nimirum deus sine thyrso rarissime tum in monimentis vetustis effictus, tum a poëtis solet esse celebratus. Documento sunt plurimae tabulae apud Zoëgam, Viscontium, Winckelmannum aliosque, documento item est statua Bacchi, in quam scripsit Proclus Lycius epigramma illud memoratum iam identidem, et simulacrum, quod in pompa Ptolemaei dionysiaca curru vehebatur auctore Callixeno ap. Athenaeum V. p. 198. c. Ad hoc thyrsus illa in pompa unus ex omnibus instrumentis et immensa quidem nonaginta cubitorum longitudine peculiaribus circumferebatur curribus: *ἐφέρετο δὲ καὶ ἐπ' ἄλλων τετρακύκλων θύρσος ἐνενηκοντάπηχυς χρυσοῦς καὶ λόγχη ἀργυρᾶ ἑξηκοντάπηχυς*, ut est pag. 201. c. Itaque propter suam in bacchicis necessitatem thyrsus de universo apparatu interdum eximitur, quo significatio fiat vel Bacchi ipsius vel religionis dionysiacae. Ita Strabo I. p. 37. Almel. diversos deos suo quemque insigni significans in Baccho thyrsum nominat verbis his: *κεραυνὸς γὰρ καὶ αἰγὶς καὶ τρίαινα καὶ λαμπάδες καὶ δράκοντες καὶ θυρσόλογχα, τῶν θεῶν ὅπλα, μῦθοι.* Quo in dicto cur Casaubonus verba *θυρσόλογχα τῶν θεῶν ὅπλα* suspicetur ab aliquo poëta accepta, caussam ego non exputo. Similis ratio cadit in epigramma quoddam Secundi in Anal. III, 5. in quo qui finguntur Amores vel Genii diversa humeris portasse diversorum deorum instrumenta, Bacchi habent *τύμπανα καὶ θύρσον.* Quid quod ipso *thyrsi* nomine declaratur effrenatus ille furor, quo exsultabant in orgiis et bacchabantur? Nempe apud Ovid. A. Amat. III, 710. habetur *thyrso*

*concita Baccha*, et Fast. III, 764. *foemineos thyrso concitat ille choros.* Nec abhorret comparatio Euripidei *πόδα θυρσομανῆ δινεύειν,* quae est egregia Musgravii emendatio in Phoen. v. 795. Magis etiam hunc usum dilatavit Lucretius, quum universe de violento quodam et quasi divino animi impetu poneret vocabulum de Nat. Rer. I, 922.

*acri*
*percussit thyrso laudis spes magna meum cor,*
*et simul incussit suavem mi in pectus amorem*
*Musarum.*

Clemens autem Alexandrinus Strom. I. p. 276. a. Sylb. gentilium hominum insaniam intellexit, quum dixit *τὸν θύρσῳ πεπληγότα.*

Cum igitur tam esset frequentissima thyrsi in bacchicis memoratio ususque maxime pervulgatus, ea caussa commotos coniicio complures, ut eius instrumenti rationem ac naturam illustrarent. Nam praeter Salmasium, quem ll. cc. inprimis multum in hac re esse cognovi ex aliis, nominandus de vetustioribus est Casaubonus tum Sat. Poes. l. c. tum ad Strab. I. p. 19. (p. 37. d. Almel.) unde cum mutuatus quaedam esset Moserus ad Nonn. p. 227., auctorem tamen reticuit, casu an providentia incertum. Sed omnium, quos ego usurpavi, uberrimum in his perspexi Schneiderum in lex. graeco s. v. Tom. I. p. 649. Musgravius et Barkerus deinceps memorabuntur.

Erat autem *thyrsus*, *βακχικὴ ῥάβδος* a Suida, *ῥάβδος, βακτηρία βακχικὴ ἢ κλάδος* ab Hesychio appellatus, levis et tenuis scipio hederacea plerumque corona obvolutus. Levitatem spectant *thyrsi teretes* ap. Stat. Achill. II, 175., *fragiles* ap. eund. Theb. II, 665., *levis hasta* Ovid. Metam. VI, 594. Hederae vero tegumentum significat *κίσσινον βέλος* Eurip. Bacch. 25. *κίσσινον βάκτρον* ibid. 363. *κίσσινοι θύρσοι* v. 710., copiosius etiam quae sunt v. 1053. verba:

*αἱ μὲν γὰρ αὐτῶν θύρσον ἐκλελοιπότα*
*κισσῷ κομήτην αὖθις ἐξανέστεφον.*

Hinc est apud Plinium H. N. XVI, 42. sic scriptum: *Alexandrum vero ob raritatem ita* (nempe *hedera*) *coronato exercitu ex India rediisse, exemplo Liberi patris, cuius dei et nunc adornat thyrsos.* Hederae autem loco serviit quoque pampinus, unde venit *pampineae hastae* vocabulum in exemplis ab Schneidero allatis. Et ab Silio Italico cum apud Barthium ad Stat. l. c. dicitur *vitis thyrso delapsa virenti*, eo exemplo refutatur Musgravius ad Bacch. v. 703. pampineam hastam praecipiens non de frondium redimiculo sed de hastili esse intelligendam. Praeterea fit, ut involucrum adhibeatur ex utraque fronde compositum, quare apud Ovid. Metam. IV, 7. reperiuntur thyrsi universe *frondentes* dicti.

Ea thyrsi species, cuius videlicet comparet suprema pars frondenti quodam redimiculo tanquam corona obvoluta, cum sit simplicissima, sola in huius fabulae scena est usurpata, sed hederacea tantum, nec item pampinea. Oculis obiicitur eadem manibus Bacchi gestata in gemma apud Casaubon. de Sat. Poësi expressa, qua ipse Casaubonus inductus est in errorem eum, ut p. 72. hunc non esse verum thyrsum contenderet sed *ferulam*, *νάρθηκα*, scilicet eam tantum agnoscens thyrsi speciem, cui in summo culmine hastile est praesutum. Sed in ferulae ab thyrso discrimen inquisivimus deinceps. Quod autem de thyrsi coronamento diximus, id plerumque sic apparet in monimentis, ut nucis piceae similitudinem referat. Nempe caussa est haec, quod pro hederaceo redimiculo non raro nux picea est adhibita. Iique sunt *θύρσοι κωνοφόροι*, velut in Phalaec. epigr. v. 3., in quibus versatus est Barkerus Annotatt. ad Etym. Magn. T. II. p. 1103. ap. Sturz. Principio editae hae disputationes sunt in Diar. Class. Vol. XII. p. 393—410. Sunt vero *κωνοφόροι* iccirco uncupati, quod *κῶνος* est *ὁ τῆς πίτυος καρπὸς καὶ στρόβιλος*, auctoribus lexicographis s. v. Sed usus huius in thyrsis rationes quasdam perscripsit Suidas s. v. *κωνοφόροι* hunc in modum: *Κωνοφόροι, θυρσοφόροι.*

*κῶνος δὲ λέγεται ὁ βοτρυοειδὴς τοῦ στροβίλου καρπὸς, ὃν ἔφερον αἱ γυναῖκες βαστάζουσαι ἐν ταῖς τοῦ Διονύσου τελεταῖς, ἐπειδὴ ὅμοιον τὸ σχῆμα τοῦ κώνου τῇ τοῖ ἀνθρώπου καρδίᾳ. ἐπιστάτην δὲ φασιν Ελληνες τῆς τῶν ἀνθρώπων καρδίας τὸν Διόνυσον. οἰκείῳ οὖν τινι μυστηρίῳ τοῦτο ἐποίουν.* Ex quibus, omissa quidem in mysteriis posita illa ratione, tantum videtur elucere, uvae maxime imitationem consectatos esse *τῷ βοτρυοειδεῖ τοῦ στροβίλου καρπῷ.* Tum autem *κῶνος* pro ipso thyrso dictus est; certe Hesychius: *Κῶνοι, οἱ θύρσοι καὶ οἱ στρόβιλοι.* Sed si in monimentis thyrsi cum eiusmodi conis videntur fere constanter effícti esse, non tamen credendum ideo est, vel fuisse hoc vulgatissimum genus, vel vere repraesentari semper nuces piceas. Existimo, enim, hederae coronamentum quoniam thyrsi culmini in coni speciem commodaretur, nec artifices in *θύρσου κωνοφόρου* effigie continenter de nuce cogitasse nec vero scriptores in eiusdem mentione caeteroquin rarissima. Neque enim unquam in frondium redimiculo ita est discessum ab coni quadam similitudine, ut totus scipio illis tanquam integumentis involveretur, et hederaceae coronae formam conicam manifesto tradi intelliges apud Zoëg. tab. 82.

Verum alia est thyrsi species, qua pro hasta sumitur. Etenim thyrsus cum iam propter formam habet multam cum hasta comparationem, tum plurimum huc valet bellicosi opportunitas ingenii, quod Baccho tribuebant ministrisque eius. Narrant enim deum belligerandi gratia Maenadum exercitum pro iaculis exstruxisse thyrsis, teste Diodoro Sic. III. p. 138. d. Steph., vel tradidisse potius in manus *ἀντὶ τῶν θύρσων λογχὰς τῷ κισσῷ κεκαλυμμένας τὴν ἀκμὴν τοῦ σιδήρου,* ut est apud eund. p. 139. a. Itaque eam accepimus pervagatissimam thyrsi descriptionem, ut sit hasta levis cum cuspide hederae aut pampini obtecta involucro, eandemque recordamur exhibitam illo loco, a quo sumus exorsi, verbis:

*αὐτὴ δ' ἔπλεκε θύρσον ὁμόζυγον οἴνοπι κισσῷ,*
*ἀκρότατον δὲ σίδηρον ἐπεσφήκωσε κορύμβῳ.*

Exemplis ab Musgravio et Schneidero prolatis adiungere licet Justinum Mart. ap. Casaub. ad Strab. l. c. *ὥσπερ αἱ Βάκχαι διὰ σχήματος εἰρηνικοῦ τὰς λογχὰς ἐν τοῖς θύρσοις περιφέρουσιν.* Eudoc. Viol. p. 120. *Τινὲς δὲ τῶν θύρσων καὶ ἐπιδορατίδας κρυπτομένας ὑπὸ τῶν φύλλων ἔχουσιν.* Macrob. Saturn. I, 19. *Sed cum thyrsum tenet* (Bacchus), *quid aliud quam latius telum geritur, cuius mucro hedera lambente protegitur?* Hinc explicatum habet *ὀξὺς θύρσος* in Nonni Dionysiacis creberrimus, ut XXVI, 21. XLIV, 78. XLV, 208. 306. XLVI, 215. XLIV, 250. XLVIII, 185. alias. Sed l. XLVI, 216. absonum est *διέθρισεν ὀξέϊ θύρσῳ.* Quare corrigo: *αὐχένα τολμήεντα διέθρισε, πῆξέ τε θύρσῳ,* quae est imitatio Euripideorum in Bacch. 1136. *πήξασ' ἐπ' ἄκρον θύρσον.* Ad cuspidatum autem thyrsi genus item spectat *κισσῆεν ἔγχος* ibid. XLIV, 238., *ἔγχος ἀμπελόεν* XLV, 14. *μαχήμων θύρσος* XLIV, 150. Talia tela ab indici maxime Bacchi exercitu gesta sunt, ut scribit Lucian. in Bacch. c. 1. Tom. III. p. 75. Rtz. et c. 4. p. 78. fin. Cuius posterioris exempli neglectionem in Schneidero et Musgravio notavit Hermann. ad Bacch. v. 116. Est autem hoc genus, quod proprio vocabulo dicitur *θυρσόλογχος* vel *θύρσος λογχωτός,* accurate in pompae dionysiacae enarratione apud Athenaeum distinctum a simplice *θύρσῳ.* In ea Bacchus conspiciebatur *θυρσόλογχον χρυσοῦν* habens (cf. p. 200. e.) et *παιδισκάρια διεσκευασμένα πελταρίοις καὶ θυρσολόγχοις* (p. 200 f.). Nec a monimentis ea species abest videturque apud Viscont. Tom. IV. tab. 23. in manu Bacchae captivum propellentis proposita ita, ut hederaceo tegumento denudata totam habeat hastae figuram, plane ut est in Lucian. p. 78. fin. *αἱ Μαινάδες ἐκ τῶν θύρσων ἀπογυμνοῦσαι τὸ σίδηρον.* Et praecipue tab. 29. ibid. huc pertinet, in qua explicanda non praetermisit Viscontius (p. 226.) Lucianeum testimo-

nium. Quin etiam fuerunt thyrsi ab utraque parte cuspide instructi, de quo genere Agathiae *δίθυρσον λογχωτόν* rectissime accepit Casaubonus Sat. Poës. l. c. (p. 72.) Habes autem eiusmodi instrumenta dupliciter cuspidata in Satyrorum manibus apud Viscont. l. c. tab. 29., in quibus etsi inferior mucro recentioris artificis supplementum sit teste Viscontio p. 226. not. 2., tamen imitatio videtur de aliis exemplis desumpta. Sed ab Euripideis personis hoc genus fuisse seiunctum, et in superioribus iam est significatum, et manifesto intelligitur ex vss. 761. 762., quibus Hysiensium Erythraeorumque *λογχωτὸν βέλος* thyrsis perspicue opponitur. Quapropter non satis distincte in hac re versatus est Musgravius l. c., Schneiderus quo inclinarit, difficile est perspectu propter explicandi genus paullo obscurius.

In monimentis frequentissime ostenduntur thyrsi prope culmen fasciis quibusdam religati: quare de Welckero mentionem fecit Hermannus ad Bacch. v. 115. Sed eius instituti summa quaedam elegantia in thyrsorum pari apud Viscont. Tom. V. tab. 10. conspicua est. Ut autem in marmoribus sunt haec taeniarum additamenta propemodum perpetua, ita in scriptoribus deprehenduntur rarissima. Nec ego praeter Athenaeum V. p. 198. f., ubi Nysa *ἐν τῇ ἀριστερᾷ θύρσον ἐστεμμένον μίτραις* tenuisse fertur, ullum exemplum indagavi. Quapropter etiamsi consentaneum fere videatur, principales in Euripidia scena personas bacchicas habuisse thyrsos fasciis ornamenti caussa devinctos, tamen verendum maximo est opere, ne deponi debeat eiusmodi opinio. At Bacchum, ficticium quidem hominem, sed vere deum, inaurato instrumento decoratum speciose licet coniicere ex verbis, quae v. 553. posita sunt: *χρυσῶπα τινάσσων ἄνα θύρσον.* Ad hoc aliquo forsitan numero habendum sit exemplum pompae dionysiacae apud Athen. p. 200. d., qua signum dei ex India reducis *ἐν ταῖς χερσὶν θυρσόλογχον χρυσοῦν* gestasse memoratur.

Thyrsi autem tractatio non poterat ad certam quandam consuetudinis normam dirigi, sed regulam sequebatur orgiasticarum saltationum animique motuum furore inflammatorum. Attamen solennitatem quandam ac gravitatem sitam fuisse in eo, ut cum dextro pede simul tolleretur thyrsus dextra agitatus, videor ex fabulae Eurip. v. 939. cognoscere; ubi est, *θύρσον λαβεῖν*

*ἐν δεξιᾷ χρή, χἄμα δεξιῷ ποδὶ*
*αἴρειν νιν.*

praesertim cum eadem specie genium bacchicum meminerim me efformatum videre apud Winckelm. Mon. Ined. tab. 7. Sed sinistra manu gerebat Bacchi statua apud Rheginum collocata, *λαιῇ θυρσοφόρος παλάμῃ* secundum epigramma aliquoties iam memoratum. Ad relicuam agitandi rationem referendum est, cum thyrsus in fabula Eurip. perhibetur vibrari et sursum iactari (*ἀνατινάσσειν* v. 80. 553. *σείειν βακχεῖον κλάδον* v. 308.), vel per auras rotari (*ἄλλαι δὲ θύρσους ἵεσαν δι᾽ αἰθέρος* v. 1097.) aut intundi in terram (*θύρσῳ κροτεῖν γῆν* v. 188.) et quae sunt eiusmodi alia.

Quae protrusae sunt huius instrumenti ab grammaticis explicationes, velut ab Eudoc. Viol. p. 120., enarrare nunc omitto. Sed duo adiicere operae pretium est, quae in graeci vocabuli grammatica ratione sunt posita. Eorum primum est, quod Etym. Magn. p. 459, 39. tradit *θ υ ρ σ ό ς* formam, ab altera significatus diversitate distinctam ea, ut *σ τ έ μ μ α τ ῶ ν γ ά μ ω ν* valeat. Nec multum discedit Eustathius ad Iliad. V. p. 485. Id quo spectet, obscurum est; sed Schneideri suspicio est acuta et probabilitate satis commendata, ortum esse ex male intellecto dicto quodam simili eius, quod reperiatur apud Virgil. Aen. VII, 390. Alterum vero cernitur in numero plurativo (utor Gellii vocabulo) cuius notanda est *θ ύ ρ σ α* forma frequentata scriptoribus aetate posterioribus, ut Sabino in Analect. II. p. 304.:

*Πανὶ Βίτων χίμαρον, Νύμφαις ῥόδα, θ ύ ρ σ α Λυαίῳ.*

Versatus in ea re est Fr. Jacobsius ad Anthol. Palat. T. III. p. 24. Sed commonemur hoc usu eius, quod *θύσθλα* manibus tulisse narrantur Dionysi nutrices in Homer. Il. ζ', 133. *αἱ δ' ἅμα πᾶσαι θύσθλα χαμαὶ κατέχευαν*, quae quam in partem valeant controversum est. Religiosae quidem cuiusdam supellectilis vel instrumenti ad sacra facienda usurpati significationem patefacit origo, quae est a *θύειν* ducta. Et ipsa sacrificia sic designantur a Lycophrone v. 720. 929. (*θύσθλα βοῶν*) aliisque exemplis. Etymologici autem Magni est glossa paullum confusa haec: *θύσθλα, θύρσοι ἢ κλάδοι, οὓς Βάκχαι κατέχουσιν, ἢ τὰ φύλλα τῆς ἀμπέλου, ἢ τὰ ἐπὶ τὴν θυσίαν φερόμενα. παρὰ τὸ θύω, τὸ ὁρμῶ, ὁ μέλλων θύσω, γίνεται θύσθλον. Ἰλιάδος ζ', Θύσθλα χαμαὶ κατέχευαν — οἱ μὲν τοὺς κλάδους, οἱ δὲ* (fors. *ἢ*, ut supra) *τοὺς θύρσους, τουτέστι τὰς βακχικὰς δράκας* (*κράδας* correxit Kusterus ad Suidam), *ἅ ἐστι διονυσιακὰ μυστήρια, ἔνιοι δὲ πάντα κοινῶς τὰ πρὸς τὴν τελετήν.* In his quod proditum est de orgiis vel mysteriis, valent ea vi *νύκτερα θύσθλα* ap. Oppian. Cyn. I, 26. Sed accedit ad illas alia interpretatio Etymol. Gud. p. 267, 37. *Θύσθλα αἱ λαμπάδες παρὰ τὸ θύω, θύσω, θύσθλα.* Etymologico Magno quidem uberior sed non minus ambigua est Suidae glossa: *Θύσθλα αἱ κράδαι αἱ βακχικαὶ ἤτοι συκῆς φύλλα. ἔνιοι δὲ τὰ ἐπιφερόμενα τοῖς βωμοῖς. οἱ δὲ τὰ φύλλα τῆς ἀμπέλου, ἢ κισσούς, ἢ κλάδους, ῥάβδους, νάρθηκας, θύματα, στεφανώματα, χοάς.* Similis est ratio scholiastarum ad Homerum et Tzetzae ad Lycophr. v. 106. Utcunque autem haec sunt, tantum certe apparet, significari instrumenta ad Bacchi religionem spectantia; sed qualia incertum. Nec enim ullum momentum niti potest in eo, quod Oppianus, ubi Homeri illa consectatus est, Cyneget. IV, 299. *θύσθλα* pro thyrsis dixit: *πάντα δ' ἔραζε, ῥίψαν ἀπὸ κροτάφων στεφανώματα θύσθλα τε χειρῶν.*

Verum thyrsi loco non infrequenter ponitur *νάρθηξ*,

nec ab Euripide reiectus est. Est autem *νάρθηξ*, Latinis *ferula*, virgulti proprie genus, geniculatis scapis nodatum auctore Plinio H. N. XIII, 42., ubi plenior exstat de eo disputatio nisa, ut videtur, Theophrasto Hist. Plant. VI, 2, 7. sq. Cum his Schneiderum contendisse expediet in animadvv. ad Theophr. l. c. Tom. III. p. 469. sqq. et in lexico graeco s. v. Consueverunt vero, quoniam *arundinacea est ferularum natura*, habetque aut *fungosam intus medullam aut inanitatem* (Plinii utor verbis), iis ignem conservare, id quod notum est in vulgus propter tralaticiam Promethei fabulam de ignis furto in ferula occultato. Cf. Plin. l. c. VII, 57. med. Aesch. Prometh. 109. cum Blomfieldii annotatione, Hesiod. Opp. et D. 52., ubi Proclus Lycius commentatus est haec: *ἔστι μὲν πυρὸς ὄντως φυλακτικὸς ὁ νάρθηξ, ἠπίαν ἔχων μαλακότητα εἴσω καὶ τρέφων τὸ πῦρ καὶ μὴ ἀποσβεννύναι δυνάμενος.* Rem tetigit, qui de ferulis bacchicis exposuit nonnulla, Musgravius ad Eur. Bacch. v. 147. Hinc apud Brunckium Anal. II, 52. Phanias epigr. II. dixit *πυρικοίταν νάρθηκα, κροτάφων πλάκτορα νηπιάχων*, posterioribus verbis veterum ludimagistrorum significans morem, in puerorum ferociam et importunitatem ferulis animadvertendi, cognitum illum ex Juvenal. I, 15. VI, 478. Martial. X, 62. Horat. Sat. I, 3, 120. aliisque scriptoribus ab Jacobsio Animadvv. ad Anth. Gr. Vol. III. P. I. p. 159. excitatis.

Sed Baccho sacram ferulam scribit Plin. XXIV, 1. Nempe utebantur in bacchicis ferulaceo scipione, idque cur factum sit, caussam Diodor. Sic. IV. p. 149. in Steph. explicavit hanc: *τὸν δὲ νάρθηκα προςάπτουσιν αὐτῷ διά τινας τοιαύτας αἰτίας· κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς εὕρεσιν τοῦ οἴνου, μήπω τῆς τοῦ ὕδατος κράσεως εὑρημένης, ἄκρατον πίνειν τὸν οἶνον· κατὰ δὲ τὰς τῶν φίλων συναναστροφὰς καὶ εὐωχίας τοὺς συνεορτάζοντας δαψιλῆ τὸν ἄκρατον ἐμφορησαμένους μανιώδεις γίνεσθαι καὶ ταῖς βακτηρίαις ξυλίναις χρωμένους ταύταις ἀλλήλους τύπτειν. διὸ καὶ τινῶν μὲν τραυματιζομένων, τινῶν*

δὲ καὶ τελευτώντων ἐκ τῶν καιρίων τραυμάτων, προςκόψαντα τὸν Διόνυσον ταῖς τοιαύταις περιστάσεσι, τὸ μὲν ἀποστῆσαι τοῦ πίνειν δαψιλῆ τὸν ἄκρατον ἀποδοκιμάσαι διὰ τὴν ἡδονὴν τοῦ πότου, καταδεῖξαι δὲ νάρθηξι χρῆσθαι καὶ μὴ ξυλίναις βακτηρίαις. Cum quibus fere sentit Plutarch. Sympos. VII, 10. transcriptus ab Musgravio l. c. Sed Euripides cum v. 113. νάρθηκας ὑβριστάς dixit, et spectavit aliud quid, et thyrsos intellexit. In ferulis autem a Plutarcho et Diodoro dissidet Eudocia Viol. p. 121. ὁ δὲ νάρθηξ διὰ τῆς σκολιότητος τῶν κώλων ἐμφαίνει τὸ (vulgo τῷ) τῇδε κἀκεῖσε περιφέρεσθαι τοὺς μεθύοντας, ἅμα δὲ ἐλαφροὺς καὶ εὐβαστάκτους αὐτοὺς εἶναι τὸ ἔναρθρον τῆς λαλιᾶς αὐτῶν, ὡςανεὶ ἄρθρα ἔχων παρίστησιν. Sed ea quidem futilia sunt: et forsitan disserui fusius, quam caussa desiderare videatur: at quoniam in ferulaceis scipionibus simpliciter commemorandis versantur, contra Schneiderum (lex. gr. s. v.) faciunt ad stabiliendam quandam illorum ab thyrsis disiunctionem. Etenim cum ab thyrsi cuspidati designatione semper maxime abhorruit νάρθηξ vocabulum, tum negari nequit, ab altera etiam thyrsi specie discrepuisse ferulae usum proprium ac principalem. Nam hoc declarant monimenta antiqua simplex scipionis genus exhibentia, hedera non coronatum sed pedi fere instar plerumque leviter a summo inflexum, quandoquidem videtur extra controversiam esse positum, bacillo incurvo, quod bacchicis personis non raro est in manus traditum, ferulae proponi imitationem. Exemplo est ipse Bacchus apud Viscont. Tom. IV. tab. 24. p. 196. tab. 26. pag. 212., et qui tabula 25. c. efficti sunt duo Centauri: nam de eo genere frequenter cum Baccho coniuncto exposuit Viscontius T. I. p. 341. sq. ad tab. 51. T. IV. tab. 21. p. 183.: eorum tenet unus thyrsum, ferulam alter. Cf. Viscont. ib. p. 208. Itaque his fere inducimur, ut, quoniam in bacchico argumento versatur ap. Viscont. l. c. tab. 25., quod in ea Silenus iuvenis post Bacchum statim collocatus manu habet

bacillum, id statuamus esse loco ferulae. De pedo accepit Viscontius p. 204. Sed haec ipsa ferula nescio an praeter formam habeat aliam quandam cum scipione pastoricio cognationem, quoniam qui feruntur masculi potissimum Bacchi comites, Fauni, Sileni, Satyri, Panes, fere putantur numina campestria. Obscurissimum quidem et corruptissimum apud Sylburgium est, sed tamen licet in partes vocare Clementis Alex. advers. Gentil. p. 5. l. 33., vel exemplaris alterius p. 11. c. testimonium hoc: *ἀμέλει φησί τις ποιητὴς εἰδωλικὸς Ταῦρος πατὴρ δράκοντος καὶ πατὴρ ταύρου δράκων ἐν ὄρει τὸ κρύφιον βουκόλος τὸ κέντρον, βουκολικὸν οἶμαι τὸ κέντρον τὸν νάρθηκα ἀνακαλῶν, ὃν δὴ κάλον ἀναστρέφουσιν οἱ Βάκχοι.* In his quae verba poëtae afferuntur nec satis ad metrum aptata et ab sententia pessime connexa, coniicio sic esse scribenda:

*Ταῦρος — — — —*
*πατὴρ δράκοντος καὶ πατὴρ ταύρου δράκων.*
*ἐν ὄρει τὸ κρύφιον βουκόλος κέντρον —*

Scilicet parum ille de sententiarum integritate curiosus coniunctos transcripsit versus duos, qui deinceps quidem sed nullo inter se constructionis vinculo colligati legebantur. Et insequentia quoque metri suspicionem movent, quasi sic refingenda:

*καλόν γ᾽ ἀναστρέφουσιν οἱ Βάκχοι —*

emendato accentu in *κάλον* vitioso; nisi rectius substituitur *κλάδον*, vocabulum Euripidi aliisque pro thyrso usitatissimum. Ad rem revertor superioribus hoc adiuncturus, quod ex Bacchi assectatoribus ferulam maxime Sileno grandaevo assignarunt veteres: quippe ebrium semper ac titubantem scipionis adiumento inprimis indigere. Testimonia Ovidii et Nonni excitavit Musgravius l. c.

Huius igitur ferulae si iam dubia esse nequit ab thyrso discrepantia, in Schneidero impugnando consecutus sum, quod volui. Verum tamen id consentiendum vehementer est Schneidero, graecos scriptores suo *νάρθηξ* nomine

creberrime abusos esse de thyrsi significatu, sive hoc factum est propter plurimum ferulaceae materiae in thyrsorum hastilibus usum, sive quoniam thyrsus frondium redimiculo spoliatus fere speciem gessit ferulacei scipionis, sive denique quod νάρϑηξ generaliter de unoquoque bacillo valuit: nam ad eam vim spectare videntur in Etym. M. p. 597, 59. sqq. disputata. Huius autem confusionis summam in Euripide licet animadvertere constantiam, et animadversa est ab Schneidero, ab Elmsleio propter contrariam Musgravii opinionem etiam argumentis communita ad Bacch. v. 113. Coniungo igitur v. 1155. νάρϑηκα εὔϑυρσον, figura quadam satis frequenti. Ita autem hastilium plerumque ferulaceorum assumptio non mediocriter sustentatur eo, quod Bacchus v. 149. dicitur πυρσώδη φλόγα πεύκας ἐκ νάρϑηκος habere. Quo pacto de explicandis verbis nihil quicquam residere debet dubitationis eius, quae inesse visa est Schneidero. Nam quoniam propter ferularum naturam ad ignem conservandum valde idoneam dabatur opportunitas, fax ita est adhibita, ut quasi emissa compareret ex medulla thyrsi caeteroquin hedera aut plane denudati, aut certe non in summo coronati. Aliam igniculi in thyrso gestandi rationem aperit tabula 29. ap. Viscont. T. IV., ubi flammam vides emissam ex lance capiti instrumenti imposita. Nec prorsus insolitum fuisse morem ferendi faces in thyrsis infixas, fere collegeris ex glossis, altera Suidae hac: Θύρσος, βακχικὴ ῥάβδος, ἢ λαμπὰς, ἣν ἐβάσταζον εἰς τιμὴν τοῦ Διονύσου, Hesychii altera: Θύρσοι, κλάδοι, λαμπάδες, λύχνοι.

Sed parumper deflexum est ab eo, de quo considerari erat coeptum: ϑύρσον igitur et νάρϑηκα de eodem instrumento promiscue usurpatos praeter Euripidem monstrant documenta, quae Schneiderus exprompsit, hausta partim ex testimoniis scriptorum, praecipue scholiastae Florentini ad Eurip. Orest. v. 1481., partim naturalis historiae ponderibus quibusdam nisa. Itaque apud Nonnum

nihil nisi variatum est loquendi formis, cum post θύρσοι sequitur illico νάρθηξ, exemplo hoc l. X, 257.

ἀλλ' ὅτε θύρσον ἄειρε κατάντια λυσσάδος ἄρκτου,
ἢ βριαρῷ νάρθηκι κατηκόντιζε λεαίνης.

Et quod Sileno grandaevo ferulam inprimis assignatam antea memoravimus, id ubi contenderis cum artis monimentis, scipionem senis temulenti cognosces maximam partem thyrsi figura contineri. Ita est in gemma apud Perizon. ad Aelian. III, 18. Gronoviani exemplaris p. 244., et in tab. 28. Viscont. Tom. IV. Sed exempla numerare vix licet.

Haec de thyrso et quae cum eo coniuncta est ferula. Sed quoniam in eo instrumento disserendum erat de hederaceo pampineove quodam redimiculo, continuo hic subiungimus disputationem de *hederaceis, pampineis aliisque bacchicarum personarum coronis capitalibus.*

In coronamentis cum notum in vulgus sit quantum veteres posuerint honorem, quamque pervulgatam habuerint coronandi consuetudinem tam in vita privata, quam in publicis institutis, inprimis vero, id quod maxima huc affert momenta, in deorum solenni religione: vel hanc propter caussam istiusmodi ornamenta a bacchicis personis non debebant esse segregata. Accedit quod Bacchus ipse credebatur φιλοστέφανος, eoque nomine est ab Euripide fab. v. 376. ornatus ut ὁ παρὰ καλλιστεφάνοις εὐφροσύναις δαίμων πρῶτος μακάρων. Hinc στεφανηφόροι sunt bacchantium θίασοι, quemadmodum est ibid. v. 531.; et Clem. Alex. Paed. II, 7. p. 74. lin. 46. Sylb. perspicue sic scribit: οἱ μὲν γὰρ βακχεύοντες οὐκ ἄνευ στεφάνων ὀργιάζουσι. Nimirum tam tralaticius fuit coronandi mos, ut non solum *serta coma sumere* tanquam dionysiacum afferatur ab Ovid. Metam. IV, 6., sed ipsum nomen βάκχος videatur in coronae significationem cessisse. Nam scholiasta ad Aristoph. Equit. 408. ἔστι δὲ καὶ στεφάνης εἶδος, ὡς Νίκανδρος ἐν τῷ περὶ τῶν γλωττῶν ἱστορεῖ. φησὶ γὰρ οὕτως· Βάκχοισιν κεφαλὰς περιάνθεσιν ἐστέψαντο. Recoxerunt

haec Eudocia Viol. p. 87. et Suidas s. v. *Βάκχος*. Hesychius: *Ἴακχα, στεφάνωμα εὐῶδες*, ex quo Lucretii *iacchia* l. IV. v. 1123. explicare conatus est Viscontius T. V. p. 114. not. 2. Alias grammaticorum glossas enotavit Lobeck. ad Aiac. p. 360.

Cum vero in quod quis primum incidat coronae genus sit pampineum, id quidem in Euripidea fabula non est commemoratum, sed cadit non mediocriter in personas bacchicas. Quare apud Ovid. Metam. VI, 592. est: *Vite caput tegitur.* Et Bacchum pampinea corona conspicuum ostendit gemma apud Casaubon. de Sat. Poës. p. 58. Itemque est Baccha pampineis sertis redimita et tympanum pulsans ap. Zoëg. tab. X. Sed quoniam decidua est pampinus brevique arescit, loco frondis minus idoneae propter similitudinem ascita est hedera corymbifera. Eudoc. Viol. p. 121. *τῷ δὲ κισσῷ στέφεται διὰ τὴν πρὸς τὴν ἄμπελον ἐμφέρειαν αὐτοῦ καὶ τὴν πρὸς τοὺς βότρυς ὁμοιότητα κορυμβάδων.* Pravam scripturam *ὡρυμβάδων* dedimus emendatam. Eandem hederam intellexit Nonnus, si *καμπύλον ἄνθος κορύμβων* dixit illo loco, qui positus est in initio huius de apparatu disputationis. Nam proprie quidem *κόρυμβος* est omne quicquid in aliqua re prominet vel eminet, ut Kusteri verbis utar ad Suidam s. v. repertis. Quo pacto significat verticem, habetque *οὔρεος κόρυμβον* Herod. VII, 218. et *δρυόεντα κόρυμβον*, quercus verticem, Nonnus XLIV, 11. Moschus III, 4. autem ad florum calyces adhibuit in his: *ἄνθεα νῦν στυγνοῖσιν ἀποπνείοι τε κορύμβοις.* Hinc in epigrammatis verbis a Suida usurpatis, *μῆλα καρηβαρέοντα κορύμβοις*, ad mamillas papillares vocabulum est traductum. Sed longe vulgarius deinceps positum est de arborum frugibus, quarum partes quaedam prominent, de acinis aliisque ad hanc speciem accedentibus. Ex quo genere sunt *corymbi dependentes elaphobosci* apud Plin. XXII, 37. *corymbi ferularum* ibid. XXI, 30. Plurimo ac quasi privato quodam usu de *hederarum acino* valuit, quem *ὄμφακι πυκνῷ καὶ περκάζοντι ὅμοιον* ait Plutarch. Quaest. Sympos. III, 2.

De his corymbis Plinius H. N. XVI, 42. sic loquitur: *Est enim candida et nigra hedera tertiaque, quae vocatur helix. Etiamnum hae species dividuntur in alias, quoniam est aliqua fructu tantum candida, alia et folio. Fructum quoque candidum ferentium aliis densus acinus et grandior racemis in orbem circumactis; qui vocantur* *corymbi*. Theophrastus vocat *κορυμβίας*] de Hist. Plant. III, 18, 6. *πάλιν δὲ τῶν λευκοκάρπων μόνον ὁ μὲν ἁδρὸν καὶ πυκνὸν συνεστηκότα τὸν καρπὸν ἔχει, καθάπερ εἰς σφαῖραν, ὃν δὴ καλοῦσί τινες κορυμβίαν, οἱ δ' Ἀθήνησιν Ἀχαρνικόν.* Ceterum contulisse conducet Schneideri lex. gr. s. v. - Ea ergo caussa est, quod in bacchicis rebus corymbi saepe usuveniunt hederacei coronamenti loco, velut ap. Dionys. Perieg. 573. *κισσοῖο μελαμφύλλοιο κόρυμβοι*, ubi Eustathius *κόρυμβοι δὲ νῦν* ait *οἱ βοτρυώδεις λέγονται καρποὶ τοῦ κισσοῦ.* Silius Ital. ap. Casp. Barth. ad Stat. Theb. II, 664. de ipso Baccho:

> *haud ultra latuit deus; inde nitentem*
> *lumine purpureo frontem cinxere corymbi.*

Nempe purpureum quendam testatur quidem maris hederae florem Plinius l. c.: *Maior traditur mas corpore et folio duriore etiam ac pinguiore et flore ad purpuram accedente:* eundemque ad coronamenta adhibitum scribit l. XXI, 30. Verum erroris ab Harduino arguitur ut secutus mendosum Theophrasti H. Pl. VI, 2. exemplum hoc: *καὶ γὰρ κισσοῦ δύο γένη διαιροῦσι, τὸ μὲν ἄῤῥεν, τὸ δὲ θῆλυ, τῷ τὸ μὲν μεῖζον καὶ σκληρότερον, καὶ λιπαρώτερον ἔχειν καὶ τὸ ἄνθος ἐπιπορφυρίζον*, in quo propter librorum mss. auctoritatem et ipsam rei veritatem *κίσθρυ* emendandum praecipiunt cum Harduino etiam Schneiderus: id quod historiae naturalis intelligentibus relinquo divellendum. Sed corymbos ad Bacchum accommodavit quoque Philostratus Imag. I, 15. *καὶ γὰρ οἱ κόρυμβοι στέφανος ὄντες, Διονύσου γνώρισμα.*

Hedera igitur quoniam maximopere Baccho fuit in amore et deliciis, in qua re versati supra sumus, tantus

est eius usus in bacchicis, ut fere numerata sit in partibus totius apparatus inprimis necessariis. Quare eiusmodi tritissima sunt tum in scriptoribus tum in momimentis personarum bacchicarum coronamenta, et documento esse potest instar omnium pompa Ptolemaei dionysiaca. Apud Euripidem tanta est celebratio hederae, ut cum relicuis personis Bacchum ipsum ita in scena decoratum iure videamur suspicati esse. Quippe auctore choro v. 73. sqq.

μάκαρ, ὅστις εὐδαίμων
ἀνὰ θύρσον τε τινάσσων,
κισσῷ τε στεφανωθεὶς
Διόνυσον θεραπεύει.

Omisi interposita ante verba *ἀνὰ θύρσον.* Quid, quod quum occasione aliqua accidisset aliorum deorum cum bacchica religione coniunctio, de illius ritibus petita est hederaceae coronae opportunitas? Namque apud Viscont. Tom. III. tab. 30. est statua feminae diademate hederaque redimita. Eam Winckelmannus Art. Ant. Hist. l. IV. c. 3. §. 5. simpliciter saltatricem esse statuit. Verum Viscontius p. 148. sq. propter formae venustatem atque elegantiam summa cum probabilitate coniecit esse Venerem, qualis effingi solita esset scenicis saltationibus, id quod luculentius antea illustraverat Meurs. Orchestr. s. v. *Ἀφροδίτη.* Quo pacto propter theatrum Dionysi institutum ascita in hedera est Bacchae similitudo.

Tum propter Bacchum haec hederae ornamenta a publica celebritate translata etiam sunt ad privatam consuetudinem, praesertim quae in compotando cerneretur. Namque in compotationibus convivas constat fuisse hedera redimitos, quare *κισσοφόροις ἐν θαλίαις* scriptum est ap. Eurip. huius fab. v. 382. Atque eius rei auctor quomodo exstiterit vel ipse Bacchus, vel qui eum secuti sint, declaratum est ab Philonide medico apud Athen. XV. p. 675. c. Quippe cum primum in Graeciam deus adduxisset vinum, tum unus bibentium capite laborans *εὗρε κεφαλαλγίας δεσμὸν φάρμακον. Τούτῳ οὖν βοηθήματι*

πρὸς τοὺς πότους χρώμενοι τοῖς παραπίπτουσι τὴν κεφαλὴν ἐδέσμενον, καὶ ἐπὶ τὸν κίσσινον στέφανον ἦλθον αὐτόματόν τε καὶ πρόσοψιν οὐκ ἀτερπῆ, χλωροῖς πετάλοις καὶ κορύμβοις σκιάζοντα τὸ μέτωπον καὶ τοὺς ἐν τῷ σφίγγειν τόνους ὑπομένοντα, προςέτι δὲ ψύχοντα χωρὶς ὀδμῆς καρούσης. Hederae folia vere capitis dolorem sedantia testantur Plinius XXIV, 47. et apud Harduinum ibid. Dioscorides.

Sed praeter illa sunt multa alia coronarum genera cum omnino ad bacchica instituta adhibita tum in Euripidea scena usurpata. Etenim deus φιλοστέφανος omni fere promiscue delectatur arboreti ac fruticeti genere viridicato, praecipue iis, quorum semper virent folia. Quocirca χλοόκαρπος, κάρπιμος, εὐιέροις καρποῖσι τελεσσιγόνοισι βρυάζων vocatur ab Orpheo h. LII, 8. sqq. Nec incommoda pro re nata est historia, quam de bacchico philosophorum indicorum cultu perscripsit Megasthenes ap. Strabon. XV. p. 1038. d. Almel. Nam περὶ τῶν φιλοσόφων λέγων τοὺς μὲν ὀρεινοὺς αὐτῶν φησιν ὑμνητὰς εἶναι τοῦ Διονύσου, δεικνύντας τεκμήρια τὴν ἀγρίαν ἄμπελον παρὰ μόνοις αὐτοῖς φυομένην, καὶ κιττὸν καὶ δάφνην καὶ μυῤῥίνην καὶ πύξον καὶ ἄλλα τῶν ἀειθαλῶν, ὧν μηδὲν εἶναι πέραν τοῦ Εὐφράτου, πλὴν ἐν παραδείσοις σπανία καὶ μετὰ πολλῆς ἐπιμελείας σωζόμενα. In pompa dionysiaca ap. Athen. p. 198. d. memoratur Bacchi σκιὰς ἐκ κισσοῦ καὶ ἀμπέλου καὶ τῆς ἄλλης ὀπώρας κεκοσμένη. Cum his conjunctas apparet δενδροφορίας in mysteriis et solennibus sacris usitatas. Itaque ad dei comitumque ornamenta multiplex adhibita perhibetur florum vel plantarum varietas. Et de Silenorum quidem sertis egit Is. Casaubonus de Sat. Poës. p. 63. l. I. c. 2., quo de universa quam hucusque tractavimus caussa multa reperiuntur erudite explanata. Apud Demosthenem autem loco illo de orgiis prodito, de Cor. p. 313. l. 23., afferuntur bacchantium θίασοι ἐστεφανωμένοι μαράθῳ καὶ λεύκῃ. Vide ibi interpp. Sed Baccharum coronamenta, κροτάφων

*στεφανώματα*, ut est in Oppian. IV, 299., praeter hederam maxime cerni in *smilace*, *quercinis et abiegnis frondibus*, apertum est ex Eurip. Bacch. v. 106.

> στεφανοῦσθε κισσῷ,
> βρύετε, βρύετε χλοηρᾷ
> μίλακι καλλικάρπῳ,
> καὶ καταβακχιοῦσθε δρυὸς
> ἢ ἐλάτας κλάδοισι.

ex quibus tria genera deintegro proponuntur v. 701.

> ἐπὶ δ' ἔθεντο κισσίνους
> στεφάνους δρυός τε μίλακός τ' ἀνθεσφόρου

cuius Elmsleius exempli comparatione rectam coronarum intelligentiam patefecit verbis, *καταβακχιοῦσθε δρυὸς ἢ ἐλάτας κλάδοισι.* Alioquin enim possit quis de *δενδροφορίας* more sentire, quoniam habet quiddam ad hanc explicandi rationem appositum tab. 7. T. V. Mus. Pioclem. propter pini ramum a Centauro trans humerum portatum. Ad Euripidiarum vero speciem prope accedebant Ptolemaei Bacchae, secundum Athen. p. 198. f. *ἐστεφανωμέναι τινὲς μὲν ὄφεσιν, αἱ δὲ μίλαξι καὶ ἀμπέλῳ καὶ κισσῷ.*

Iam qui apud Euripidem est quercinarum frondium usus nescio an nusquam alibi inveniatur memoratus. Verum *abiegna* redimicula non infrequenter in scriptoribus obiiciuntur, vel si minus illa, tamen *πιτυϊνα.* Utraque autem arbor, et *πίτυς* et *ἐλάτη*, ad idem referuntur pinorum genus teste Schneidero lex. gr. s. v. Quocirca in pompa dionysiaca mille et sexcenti pueri processerunt in medium *ἐστεφανωμένοι οἳ μὲν πίτυϊ, οἱ δὲ κισσῷ*, et *παιδισκάρια χρυσοῖς πιτυΐνοις στεφάνοις* ornata secundum Athen. p. 200. e. Deinde erant *ἡνιοχοῦντα παιδάρια πίτυϊ* redimita p. 200. f. In monumentis Satyris inprimis et Faunis hoc genus est tributum, velut tab. 42. T. III., tab. 29. T. IV. Mus. Pioclem., rationemque eius rei Viscontius T. IV. pag. 225. existimat artifices sumpsisse hanc, quod cum pinus *campestri deo Arcadio* (Propert. I, 18, 20.) esset sacrata, hoc ad omnia campestria perti-

nere numina animum induxissent. Satyrisci signum *ἐστεφανωμένου πίτυος χρυσῷ στεφάνῳ* eadem illa produxerat pompa Ptolemaei, p. 200. d.

Denique *smilacis* mentionem praeter Euripidem et Athenaeum fecit quoque Oppianus Cyneg. IV, 261. in cymba narrans, qua Bacchus per Euripum veheretur, vitem et hederam sua sponte natas:

> *καὶ δὴ οἱ χλοερὴ μὲν ὑπήνθεε σέλμασι μῖλαξ,*
> *πρύμνην ὡραίη ἕλινος καὶ κισσὸς ἔρεπτον.*

Erat in universum non insolita smilace coronandi consuetudo, quemadmodum docet praeter Aristophanem Nub. 1003. ab Elmsleio enotatum Hesychius s. v. *σμῖλος· δένδρον, οἱ δὲ πρίνος, ἄλλοι σμίλακα, ᾗ στεφανοῦνται*, et praecipue Plinius XXI, 2.: *Folia in coronamentis smilacis et hederae corymbique earum obtinent principatum.* Quamquam eandem scribit l. XVI, 35, 63. *infaustam omnibus sacris et coronis, quoniam sit lugubris virgine eius nominis propter amorem iuvenis Croci mutata in hunc fruticem. Id vulgus ignorans plerumque sua festa polluere hederam existimando.* Ea Croci et Smilacis fabula an Euripidis aetate iam fuerit divulgata, dubitare licet, cum nobis quidem ex Ovidio demum Metam. IV, 283. et Nonno XII, 87. et Galeno, quem Harduinus nominat, cognita pateat. Nec enim verisimile, siquidem eo pacto Graecorum superstitiosa sollicitudo ab tali coronamento abhorruisset vehementissime. Ceterum propter occasionem meminisse non iniucundum existimo: nec enim plane est alienum: quod cum cubile Iovis et Iunonis apud Nonn. XXXII, 83. complexu venereo iunctorum floribus a Terra vestiretur lectissimis, in his etiam *κρόκος ἐβλάστησε Κίλιξ καὶ ἐφύετο μῖλαξ.*

Est vero haec ad coronas usurpata smilax non cum aliis plantis eiusdem nominis permiscenda, et minime quacum nonnulli confuderunt cum taxo Graecis *σμῖλαξ* appellata. Refutavit horum errorem Schweighaeuserus ad Athen. V. p. 198. e. Nam taxus propter vim noxiam atque

interdum mortiferam (cf. Plin. XVI, 20.) omnino non erat idonea. Haec autem smilax, de qua hic consideratur, est frutex hederae simillimus ideoque ab nonnullis, veluti ab Gaza in lat. interpret. Theophr. III, 18., et ipse *hedera Cilicia* vocatus. De ea sic scribit Plinius XVI, 63.: *Similis est hederae, e Cilicia primum quidem profecta, sed in Graecia frequentior, quam vocant smilacem, densis geniculata caulibus, spinosis frutectosa ramis, folio hederaceo, parvo, non anguloso, a pediculo emittente pampinos flore candido, olente lilium.* De flore similiter Theophr. H. Pl. III, 18, 11. *ἄνθος δὲ λευκὸν καὶ εὐῶδες λείριον.* Itaque cum propter hederae similitudinem tum vero inprimis propter suavitatem odoris, qui afflabatur ex flore, videntur eiusmodi coronamenta libentius gessisse. Nam eo manifesto spectat Aristophanes, cum *σμίλακος ὄζων*, et Euripides, cum posuit *σμίλακα ἀνθεσφόρον*. Eum florem *μῖλος* dictum narrat Pollux VI, 106., quocum fortasse non pugnat, quod *μῖλος* vel *σμῖλος* vocabulum ipsam fruticis significationem habere ostenditur ab Schweighaeus. l. c. p. 200. c. et a Schneidero lex. gr. in *σμῖλος*, et ubi de smilacis generibus amplius docebere, in *σμῖλαξ*.

Restat etiam de varietate formarum *σμῖλαξ* et *μῖλαξ*. Posterioris in Euripide vindicem Elmsleium ita elevare studuit Hermannus ad v. 110., ut utramque promiscue usurpatam statueret, et contra illum *σμῖλαξ* in verborum perpetuitatem reciperet. Sed qui de Hermanni commentandi ratione videri debet a Salmasio discessisse, Schweighaeuserus potius accuratissime cum hoc conspirat. Ergo idem, quod Hermannus negat esse discrimen utriusque vocabuli, iam Schweighaeuserus negarat, repudiata adversaria Dioscoridis quadam praeceptione. Nec ego dissentio, nisi quod praelatam fere existimarim *σμῖλαξ* formam, a Plinio constanter servatam. Praeterea poëtas consentaneum est tum metri necessitati cessisse, tum aurium indicio aliquid tribuisse. Ita propter versus legem *μῖλαξ* asciverunt Nonnus et Oppianus ll. cc. Sed apud Euripi-

dem σμῖλαξ utroque in exemplo iccirco tueor, quod praegressa vocalis non molestam sed suavissimam facit σ litterae accessionem. Aristophanio denique dicto, quo nititur Elmsleius, formam cum σ vindicat consensus optimorum librorum, Ravennatis, Leidensis, quattuor Brunckii, sex Porsonis.

Nondum datus est consistendi locus in his de ornatu capitali quaestionibus. Etenim residuum est unum coronamenti genus, non virens quidem illud sed vivens id est *viperinum*. Quis enim est, cui non innotuerint Horatii illa:

*Tu separatis uvidus in iugis*
*nodo coërces viperino*
*Bistonidum sine fraude crines.*

Od. II, 19, 18. posita? Quare apud Nonnum XIV, 355. Baccharum una δαφοινήεντος ἐφιμείρουσα κυδοιμοῦ | ὠμοβόρων ἔζευξεν ἐπ' αὐχένι δεσμὰ δρακόντων. Nec aliter XXVII, 236. ὀρεσσαύλοιο δὲ Βάκχης | δέσμιος ἀπλέκτοισι δράκων ἐσφίγγετο χαίταις. Itemque in pompa Ptolemaei Baccharum τινὲς ὄφεσιν ἐστεφανωμέναι comparebant. Euripides autem huius consuetudinis principium de ipso Baccho voluit esse ductum, quippe cui recens nato Jupiter viperinam imposuerit coronam:

στεφάνωσεν δὲ δρακόντων
στεφάνοις, ἔνθεν ἄγραν θυρ-
σοφόροι Μαινάδες ἀμ-
φιβάλλονται πλοκάμοις.

ut est fabulae v. 101.

Sed latius etiam patent illa serpentium redimicula, multiplicique praeterea usui servierunt. Ita nebridem Maenadum Thebanarum super humero viperino quasi nodo coërcitam ab Euripide tradi vidimus in superioribus. Apud Nonnum illo loco, a quo egressi sumus, non solum viperinum quoddam lorum circumdatur corpori, sed balteum etiam circumplicat *tortu multiplicabili draco,* ut inquit apud Ciceronem poëta. Serpentibus quasi quibusdam redi-

mitae cingulis saepiuscule finguntur Maenades cum aliis scriptoribus tum maxime ab Nonno. Adiicere licet unum exemplum l. XIV, 363.

> καί τις ὄφιν τριέλικτον ἀπήμονι δήσατο κόλπῳ,
> ἐνδόμυχον ζωστῆρα κεχηνότα γείτονι μηρῷ,
> μείλιχα συρίζοντα, φιλακρήτοιο δὲ κούρης
> ὑπναλέης ἄγρυπνον ὀπιπευτῆρα κορείης.

Sed illud, quod de viperino loro posui, incertus etiamnum haereo, an graecis verbis satis conveniat. Etenim cum Nonnus scripserit πρώτῃ ἐχιδνήεντα κατὰ χροὸς ἥψεν ἱμάντα συμπλόκον, potest quidem de cingendo cogitari, vocabulo συμπλόκος propter illum accentum active sumpto, sed quoniam diverso accentu σύμπλοκος est multo magis stabilitum, satius videtur intelligere flagellum anguium complexione tortuosum, nec circumdatum corpori illud sed appensum. Quem flagelli usum ad Baccham credere licet de Cybelae ministerio traductum esse iccirco, quod fere cetera instrumenta in utraque religione sunt eadem. Habet enim cum eo quandam propinquitatem non ita sane remotam *flagrum*, *quod semiviris illis proprium gestamen est*, *contortis taeniis lanosi velleris prolixe fimbriatum et multis talis ovium tessellatum*, *et quo arrepto sese multimodis communicant ictibus*. Verba sunt Apuleii Metamorph. VIII. p. 185. Bip. De his ἱμᾶσιν ἀστραγαλωτοῖς vel μάστισιν πολυαστραγάλοις, ut est ap. Erycium epigr. II. Anal. II, 295., copiosius dixerunt Winckelmannus Mon. Ined. P. I. p. 6. Brunn. et Jacobsius Animadvv. ad Anth. Gr. Vol. II. P. II. p. 353.

Est autem in monumentis plane spreta, ut videtur, species Baccharum anguibus in capite cinctarum, credo immanior, quam quae cum artis dignitate congrueret: pectoris talem cingulum licet animadvertere, sed inprimis usuvenit in bacchicarum Nympharum simulacris. Nam id nomen rite argumentando invenit Viscontius Tom. III. pag. 205. sqq. ad tab. 43., eique sustentando in promptu sunt multa testimonia, velut Nonni l. XLIV, 10—15. Et

Orpheus h. LIII, 6. Bacchum alloquitur: *Ναΐσι καὶ Νύμφαις ἡγούμενε κιττοφόροισι.* Tum in Dionysi comitatu Strabo X. p. 717. recenset *Naïdas* et *Nymphas.* Denique id quod maximum est, Nymphis narrabant Bacchum esse educandum traditum, quode vid. Schweighaeus. ad Athen. Animadvv. T. III. p. 112. Ex eo igitur genere Nympha est anguino cingulo redimita, alia insuper serpente in pectore apparente, apud Viscont. T. III. tab. c. IV. no. 6.; est autem ex Poecile Justin. T. II. tab. 104. desumpta Dirce illa, quam coniecimus supra c. V. Alioquin in his Nymphis plerumque solet ad bracchia applicata esse serpens (v. Viscont. T. III. p. 207.) plane ut est in Baccha apud Winckelm. fig. 150. Sed is cum ad hanc rediniendi rationem P. II. p. 83. existimavit spectare *περισφύριον* Bacchae Porphyridis in Agathiae epigr. III., parum consideravit vocabuli originem ab *σφυρόν* deductam. Talorum hoc potius quoddam ornamentum, quamquam specie ac natura sua non satis cognitum. Nondum enim omnem ambiguitatem removit Casaubon. de Sat. Poës. p. 74. Sed de anguino bracchiorum cingulo diligenter advertendum est, ne illum, quem Bacchae gerunt imo bracchio circumdatum, permisceas cum armillae quodam genere, quo mulieres utebantur in summo sinistro. Id enim identidem in marmoribus obiectum consectabatur item serpentis similitudinem. Quapropter *ὄφεις* Graeci dixerunt, Latini *spintherem.* Cf. Poll. V, 99. Fest. s. v. *spinther.* Viscont. Mus. Pioclem. T. I. p. 109. T. II. p. 349.

Etiam manibus serpentes circumferebantur. Ita Bacchae Ptolemaei ap. Athen. p. 198. e. *κατεῖχον ἐν ταῖς χερσὶν αἱ μὲν ἐγχειρίδια, αἱ δὲ ὄφεις.* Quod dictum Eudocia Viol. p. 118. mutuata explicatione insuper grammaticorum more auxit. Ait enim *κατέχουσαι χερσὶν αἱ μὲν ἐγχειρίδια, αἱ δὲ ὄφεις. τοῦτο δὲ πρὸς αἴνιγμα τοῦ καὶ θηριώδεις καὶ φονικοὺς εἶναι τοὺς μεθύοντας.* Summovi pravitatem scripturae *φοινικοὺς*, neglectam illam quidem, ut solet, ab Mosero ad Nonn. p. 248. Si-

militer angues manu rusticus senex tenet in bacchica tab. 20. Tom. IV. Mus. Pioclem. Pugiones autem, ἐγχειρίδια, ab Euripide quidem non sunt memorati, sed eos in monumentis interdum prae se ferunt Bacchae, ut plurimae illarum, quae apud Zoëg. tab. 83. et 84. effictae sunt, *commotis excitae sacris:* licet enim Virgilii verbis uti ex Aen. IV, 301.

Ad summam quoniam his ita constitutis plurimum esse vides anguium apud personas bacchicas usum, dici non potest, quanta in eo vertatur vis per universam illam religionem disseminata. Etenim nulli unquam bacchanalium celebritati deesse debebat eius animalis quasi quaedam necessaria ad sanctitatem accessio, et sociata maximam partem est vel cum orgiorum descriptionibus eius commemoratio vel cum monumentis effigies. Quo spectat illud ab Demosthene pro Cor. p. 313. Aeschini opprobrio datum, quod res bacchicas tractarit *τοὺς ὄφεις τοὺς παρείας θλίβων.* Nec satis hoc. Immane quidem eoque parum credibile est, quod serpentes ab bacchantibus ore discissas narrat Prudentius apud Barth. ad Stat. Theb. T. II. p. 298. Sed aliud est, diversa quidem ratione sed maiore forsitan momento, quod ita consecratum deo voluerunt animal, ut eo etiam ad mysteria adhibito placiti cuiusdam occulti significationem implicatam fingerent non sine augustissima veneratione. Namque *σημεῖον ὀργίων βακχικῶν ὄφις ἐστὶ τετελεσμένος* praeter alia huc pertinentia scribit Clemens Alex. Protrept. p. 4. l. 42. Sylb. Eoque factum existimo, ut in vanno illa mystica serpens sit inclusa, quemadmodum comparet in marmoribus ap. Viscont. T. V. tab. C. T. IV. tab. 22. ubi cf. p. 189. Sed quicquid id est, quod in mysteria cadit, id enucleare nunc non est necesse: verum cum Bacchabus quod coniunctae sunt serpentes, id aeque ac pellium usum credo referendum esse ad illam rituum immanitatem insaniaeque effrenatae licentiam, quae si exarsit acerrime, nulla naturae lege coërcetur Bacchae furor inflammatus et ignitus. Nec plane absimilis anguium ratio in Furiarum personis est.

Sed cum hucusque de capitis ornamentis disseruimus, plane praetermisimus naturalem eius ornatum. Enimvero cernitur bacchicum quiddam in *crinium cultu*, qui ubi maxime est diffusus, summum quendam animi impetum prae se fert. Itaque cum deus ipse *τρυφερὸν πλόκαμον εἰς αἰθέρα ῥίπτει*, fab. v. 150., tum de Thebanis Bacchabus v. 694. scribitur: *καὶ πρῶτα μὲν καθεῖσαν εἰς ὤμους κόμας*. Et Bacchus Pentheum in Maenadis persona rite suscipienda adiuturus v. 829. ait: *κόμην μὲν ἐπὶ σῷ κρατὶ ταναὸν ἐκτενῶ*. Hoc est, quod Nonnus illo loco *ἄπλοκον κόμην* dixit, et l. XXXVI, 155. *χαίτην ἀμπελόεσσαν τανυπλοκάμων γυναικῶν*. Amplius etiam persecutus est l. XIV, 344. hunc in modum:

> *ἑτέρη δὲ κατ' αὐχένος ἄμμορα δεσμῶν*
> *μηκεδανῆς μεθέηκε καθείμονα βόστρυχα χαίτης,*
> *Μαιναλὶς ἀκρήδεμνος· ἐπ' ἀμφοτέρων δέ οἱ ὤμων*
> *ἀπλεκέας πλοκαμῖδας ἀνεῤῥίπιζεν ἀήτης.*

Quapropter cum cultum non aspernatae sunt, nec enim debebant, Ptolemaei Bacchae, *κατεχυμέναι τὰς τρίχας*, ut est ap. Athen. p. 198. c. Apud Ovidium Metam. IV, 6. in bacchanalium apparatu partem non minimam habet: *crinales solvere vittas*. Nec secus testatur Virgil. Aen. VII, 403., *debitum* adeo scribens v. 391. ac necessarium, *Baccho sacrum pascere crinem*. Cf. ibi Heynium, Valckenar. cum scholiasta ad Eurip. Phoen. 793.

Artis monumentorum sunt quaedam, in quibus maxime eminet ea ratio: plura, in quibus modestior apparet: sed in quibus prorsus est omissa, praebentur plurima. Una omnium in hac caussa nominanda est Baccha apud Winckelm. Mon. Ined. fig. 60. (ap. Zoëg. tab. 82.) capillis tam insigniter passis, quo nihil possit informari vel ad speciem negligentius, vel ad animum inflammatius. Etenim praeterea illo corporis statu licet sensu percipere id, quod Euripides v. 862. dixit, *δέραν εἰς αἰθέρα δροσερὸν ῥίπτειν*, et Philipp. Thessal. epigr. VI. de Gallo Clytosthene,

*αὐχένα στροβιλίζειν.* Ad hanc paullum mediocritate quadam moderatior, sed per se tamen satis relaxatus fuisse videtur comae habitus in nobili illa Scopae Baccha, quam artifex in furorem coniecerit an deus ipse, incertum scribit Simonides epigr. LXXXI. Anal. I, 142. Nam nitimur Callistrati in Stat. II. p. 892. Olear. testimonio hoc: *ἀνεῖτο ἡ κόμη ζεφύρῳ σοβεῖν, καὶ εἰς τριχὸς ἄνθησιν λίθος διεσχίζετο· ὃ δὲ καὶ μάλιστα τὸν λογισμὸν ὑπεξίστη, ὅτι καὶ τριχὸς λεπτότητι λίθος ἰὸν ἐπείθετο, πλοκάμων ὑπήκουσε τοῖς μιμήμασι, καὶ τῆς ζατικῆς ἕξεως γεγυμνωμένης τὸ ζωτικὸν εἶχεν.* Denique comptior est capillus nodisque constrictus figuris plerisque in tab. 83. 84. apud Zoëgam.

Remissior hic crinium cultus cur Bacchabus a veteribus sit tributus, caussa est in aperto posita haec, quod ea specie fere declarari videbatur intemperatus animi impetus is, quem non voluntarium sed divino afflatu credebant incitatum. Quapropter idem refertur cum ad aliorum deorum ministeria orgiastica, tum maxime ad Magnae Matris illos semiviros. Etenim id quod significavimus iam identidem, omnino tanta Idaeae deae cum Bacchi sacris communibus utriusque ritibus communique religionis supellectile est necessitudo, ut altera ex alteris profecta explorate iudicasse videatur Euripides. Sed de eo alia forsitan fiet copia explicatius commentandi. De capillorum autem habitu illud est exemplo, quod Alexis Gallus aetate decrepitus Phrygiorum deae in relicuo instrumento dedicat quoque *ξανθὰς τὰς πρὶν ἔσεισε κόμας*, in epigr. incerti auctoris 174. Anal. III, 184., itemque *Γάλλος ὁ χαιτάεις μυρόεντα βόστρυχον* ap. Eryc. Cizyc. epigr. II. An. II, 295. Postremo Atys sanctus ab Dioscoride epigr. XI. T. I. p. 495. describitur *ἔκφρων μαινομένην δοὺς ἀνέμοισι κόμην.* In summa autem latissime apud veteres talis capillorum conditio patet, et nisi quod iisdem affertur momentis, caeteroquin ubicunque apparet, communi continetur vinculo eo, quod in animo aliquo modo affecto versatur. Etenim cum

quaeque animi vehementior impulsio ad corporis etiam habitum pertineat, cernaturque non solum in omnium vitae rationum despicientia, sed etiam in cultus externi qualicunque neglectione, posterius hoc veteres maximam partem in comae vestitusque posuerunt remissione vel dissolutione. Ita homines, qui terras Orientis colerent, compertum est ex Sacrae Scripturae historiis in malis hoc concessisse doloris sensui, ut capillos non solum diffunderent, sed evellerent simulque vestes discinderent. De Graecis autem ut exempla ponam, Hermione apud Euripid. Androm. 823. sqq. summo animi cruciatu confecta fingitur comam ligamentis liberare et pectora denudare. Eadem est ratio Antigonae in Eurip. Phoen. 1497. Apud eund. in Hippol. 201. Phaedra ingenti fervens amoris aestu verba ebullit haec:

*Βαρύ μοι κεφαλῆς ἐπίκρανον ἔχειν·*
*ἄφελ᾽, ἀμπέτασον βόστρυχον ὤμοις.*

ubi Senecae imitationem (Hipp. 394.) cum aliis exemplis ascripsit Valckenarius. Romanorum de huiusmodi effusis capillis testimonia innumerabilia sunt et in vulgus nota.

Relicuae sunt ex ea, quod primam posui, instrumentorum quasi familia secundum Nonnum *μυστὶς κίστη*, *φιάλαι* et *φλὸξ πεύκης*. Sed de his duae priores ad Euripidiam tragoediam non pertinent. Et *mystica* quidem *vannus*, quam vocavit Virgil. Georg. I, 166., abhorruit iccirco, quoniam referebatur potius ad recondita mysteriorum sacra, quam ad illa, quae in vulgus emanarant, bacchanalia solemnia: nam utraque differebant cummaxime. Itaque licebit brevitate uti ea, ut cuius intersit de vanno mystica amplius doceri, eum delegemus ad scriptores hos: Spanhemium ad Call. h. in Iov. 48., h. in Cerer. 137., Casaubonum et Schweighaeuserum ad Athen. V, 198. c. Gesner. ad Orph. h. XLVI., et qui his omnibus melius locutus est, Winckelm. Mon. Ined. ad fig. 53., exemplaris Brunniani T. I. p. 46. Eum sequitur Creuzerus de Mythol. et Symb. T. III. p. 328. edit. II.

Quod autem Nonnus habet, φιάλας γυμνοῖσιν ἐπὶ στέρνοισι καθάψαι χαλκείας, cur ab Euripide sit praetermissum, duplex est caussa, altera in nuditate pectorum palam proposita, altera in eo sita, quod Euripidiam aetatem haec consuetudo non videtur attingere. Nam debetur soli Nonno eius mentio. Quo pacto licet rei explanatio ad hoc disserendi genus minus iudicetur apposita, tamen quoniam et plane defecit Moserus p. 228. et longe diversa commiscuit Creuzerus l. c. p. 226. not. 174., nec qui animum huc adverterit, a me ullus est repertus, non inutile duco, adiuncta coniecturali quadam explicatione ad intelligendum viam patefacere. Mirari autem subit Moserum, quod cum Aristotelem nominarit, alia tamen eius ipsius Nonni, cuius sex librorum explanationem propalam collocavit, exempla illi simillima plane omiserit comparationis gratia vel enotare vel certe indicare. Sunt vero l. XLVI, 277. καὶ λασίους ἔρριψεν (nempe Agaua) ἀπὸ στέρνοιο χιτῶνας | καὶ Βρομίου φιάλας θιασώδεας, et in quo nititur aliquod pondus, l. XLVII, 9. φιάλας δὲ σιδηροφόρων διὰ μαζῶν | στήθεσι μυστιπόλοισι ἀνεζώννυντο γυναῖκες.

Est autem principio id attendendum, quod phialam (graeci vocabuli in Latinis usum de Plinio mutuor, qui habet H. N. XXXIII, 55.) non secus ac cantharum Bacchi voluerunt fere propria gestamina. De illa insigne est et instar omnium Aristotelis de A. Poët. XXI, 12. testimonium hoc: καὶ ἐνίοτε προςτιθέασιν ἀνθ' οὗ λέγει πρὸς ὅ ἐστι· λέγω δὲ οἷον, ὁμοίως ἔχει φιάλη πρὸς Διόνυσον καὶ ἀσπὶς πρὸς Ἄρην. Ἐρεῖ τοίνυν καὶ τὴν ἀσπίδα φιάλην Ἄρεως, καὶ τὴν φιάλην ἀσπίδα Διονύσου. Nempe spectantur versus Antiphanis apud Athen. X, 433. c. Ceterum vide Hermanni commentarium. Sed phialam cum clypeo comparandi ansam manifesto praebebat maxima utriusque instrumenti similitudo. Nam phiala quoniam patera est fundo patente ac plano et umbilico adeo instructa: nam hoc genus de pluribus ab Athenaeo XI. p. 501. sq.

expositis videtur usitatissimum fuisse, explanatum quoque ab Salmasio Exercitatt. Plin. p. 1271. b.: proxime accedit ad clypsi formam, et invicem clypeus etsi distat magnitudine et orbis circuitu, tamen relicuam figurae descriptionem cum phiala habet communem. Sed comparationis intelligentiam pridem perspecte aperuit Wyttenbach. ad Eclog. Hist. Princ. p. 375. Jam vero quoniam quod in deo eminebat, id plerumque nolebant segregatum esse ab eius comitatu, item phiala in hunc cadere debebat. Eo igitur pertinere existimo, quod in monumentis non raro bacchicae personae effictae sunt pateras manu tenentes. Quas autem vulgo manibus ferre putabantur pateras, eas ritu quodam sancto circa pectora affigunt Nonni Bacchae. Nam ritus sanctitatem affert θιασώδεις illud additamentum. Sed cum quaeritur, quomodo apparuerint affixae, etsi dupliciter licet statuere, tamen examinatis ponderibus in alteram partem propendemus. Etenim quoniam ante omnia animum advertunt verba σιδηροφόρων διὰ μαζῶν, quae sunt in uno Nonni exemplo, proxime quidem proposita est explicatio consentanea praepositioni διά ea, ut phialae cogitentur appensae fasciis quibusdam de humero per spatium, quod est inter mammas, demissis latusque cingentibus. Quarum similibus fasciis vel corollis, ad speciem globulos quosdam deinceps appensos habentibus, ornatae sunt personae bacchicae ap. Winckelmann. Mon. Ined. fig. 200. Deque eodem ornatu in Baccha apud Buanorottum meminit Winckelm. T. II. p. 119. Denique idem est ad Bacchum infantem applicatum in pictura vasis ap. Viscont. T. IV. tab. b. I. Sed huic rationi aut oppositum videtur, quod σιδηροφόροι dicuntur μαζοί, aut parum distincte locutus est Nonnus. Itaque ferro oneratae vocari videntur papillae, quoniam phialae geminae ipsis ita erant affixae, ut plane essent tegumento. Nec enim διά praepositio huic explicationi obstat. Quae etsi proprie valet de eo, quod penetrat vel dividit rem aliquam, tamen paullum traducte usurpatur ita, ut aliquid superficiem potius rei quasi per-

metiri cogitetur. Ita est *διὰ στέρνων ἔχειν τι* aliquid per pectus gestare, id est in superficie pectoris sic, ut totum pectus contingat vel contegat. Exempla sunt apud Fischer. ad Veller. Gr. Gr. T. IV. p. 165. Hinc igitur *φιάλαι διὰ μαζῶν ἀνεζωσμέναι* sunt, quae super mammis tegumenti instar sunt affixae. Ab ea consuetudine non multum abscedit, quod Pollux V, 100. graecis feminis usitatum scribit, gestare circa pectora quaedam scutula, *αἰγίδας περὶ τοῖς στέρνοις*. Abs quibus fieri etiam potuit ut Nonnus in phialarum apparatu similitudinem duceret, siquidem eae, quemadmodum expositum est, scutulorum formam fere aequabant.

Sed admonent hae paterae *craterarum et craterophoriarum* (brevitatis caussa graeco verbo utor) ad quas spectat Euripides v. 221. Nimirum in quavis pompa dionysiaca circumferebantur craterae, aut si maiores erant vehebantur. Documento est inprimis luculento pompa Ptolemaei illa apud Athenaeum, in qua de cetero numero eminebat, quae pag. 199. b. describitur cratera argentea, forma maxima. De eadem consuetudine craterarum mentionem ad Thebanorum tricteridas adhibuit Statius Theb. II, 76., ubi cf. Casp. Barthii animadversiones T. II. p. 299. sq. Memoravit idem genus cum Baccho coniunctum Virgil. Georg. II, 527. In marmore antiquo autem habes crateram magnam curru vectam apud Zoëgam tab. 7., cuius exstat de ea disputatio T. I. p. 65. sqq. Sed cratera cum fertur, cadere hoc plerumque voluerunt in virilem partem bacchici ministerii. Ita exemplum est Sileni, qui impetu tympani a Baccha pulsati ad sustinendum craterae ingentis onus incitatur, ap. Zoëg. tab. 16. (cf. T. I. p. 73.), et Fauni in pompa Dionysi nuptiali craterophori ap. Viscont. Tom. IV. tab. 24. Nempe videtur id cum phialis Baccharum quodammodo esse consociatum, ratione hac, ut cum virili comitatus parti tribuerentur instrumenta potandi craterae, ab muliebri non segregandum censerent simile quoddam genus in phialis positum.

Denique ad extremum *faces* praeferebant Bacchae, quod dicit Nonnus, *πρώτη νυκτιχόρευτον ἀναψαμένη φλόγα πεύκης*, et XLVII, 28.

> καὶ φλόγα νυκτιχόρευτον ἀνέσχεθε δίζυγι πεύκῃ
> ἀρχεγόνῳ Ζαγρῆϊ καὶ ὀψιγόνῳ Διονύσῳ.

et sexcenties similem in modum. Apud Euripidem autem quamquam eo apparatu carent Maenades ipsae: nec in monumentis visae sunt ita exstructae, si exceperis exemplum Bacchae paullo supra memoratum, quod ne trahatur in alienam partem, pro se quisque cavebit: tamen Bacchus ubi nocturno tempore appareat dux et quasi signifer Maenadum saltantium, *ἔχειν πυρσώδη φλόγα πεύκης ἐκ νάρθηκος* traditur v. 146., cui dicto scite Elmsleius accommodavit, quod habet Soph. Oed. T. 203.

> οἰνῶπα Βάκχον εὔϊον
> Μαινάδων ὁμόστολον
> πελασθῆναι φλέγοντ' ἀγλαῶπι πεύκᾳ.

Marmora plerumque Silenos et Faunos atque relicuam partem virilem cum facibus ostendunt. Etenim quoniam in taedarum candore illustri solenne quiddam contineretur et augustum, earum usum Graeci veteres credebant deesse non debere cum ad iustam aliorum deorum venerationem, tum in hoc maxime negotio, quod in mysteriorum cura et orgiorum versabatur. Nam in earum fulgore praecipuam celebritatis partem posuisse, qui Cybelae sacra administrarent, testimonio sunt loci a Zoëga T. I. p. 142. not. 126. citati. Nec Cereris Eleusiniorum solennia sine taediis confici solita, sed feriarum adeo dies una propter pompam illuminatam *λαμπάδων ἡμέρα* vocata. Rem praeter alios satis multos exposuit Creuzer. de Symb. et Myth. IV, 527. Bacchus primum quo est cum Cerere coniunctus cultu, tanquam sacer mysteriorum antistes proprio vocabulo *Ἴακχος* nuncupatus, in eo ardentem facem praefert, et collocatum in templo Cereris hac specie erat eius simulacrum, auctore Pausania I, 2, 4. his: *ναός ἐστι Δήμητρος, ἀγάλματα αὐτή τε καὶ παῖς καὶ δᾶδα ἔχων Ἴακχος.*

Deinde fama quadam antiquissima et sanctissima tradebatur in Parnassi verticibus duplicem iaciens facem saltatorios versare orbes, de qua re recordabere quae supra scripsi. Ab mysteriorum autem et orgiorum celebritate quam non abesse debuerit illud instrumentum, contestantur multi scriptores, de quibus nonnullos nominavit Creuzer. l. c. p. 326. sq. Nonnus hinc habet *πεύκην θιασώδεα* l. XLIV, 194. Quippe ipsum *φασὶ τὸν θεὸν τὸν μυστικὸν βακχεύοντα καὶ δᾳδουχοῦντα καὶ τὰς ἐξ ἀνακτόρου λαμπάδας αἰωροῦντα*, ut est apud Libanium in Tim. se ips. defer. T. IV. p. 189. l. 22. Rsk.

Sed ad bacchanalia cur adhiberentur taedae, principio quidem caussa fuit satis simplex, quam nocturni temporis ratio cum montium densissimo vestitu ferebat. Nam debet huc referri id, quod significatum iam plus semel est, spatiis praecipue sylvestribus ac montuosis, vicissitudine collium valliumque distinctis, fontium frigore recentibus, speluncarum denique obscuritate augustis Bacchas esse delectatas. Hoc non praeterierat Eudociam Viol. p. 121. vel quisquis est auctor, in his, quae animi caussa ascripsi: *ὀρείφοιτοι δ' εἰσὶ καὶ φιλέρημοι αἱ Βάκχαι διὰ τὸ μὴ ἐν ταῖς πόλεσιν ἀλλ' ἐπὶ τῶν χωρίων γεννᾶσθαι τὸν οἶνον.* Ita igitur fit, ut in talibus locis omnes bacchantium thiasi per totam Euripidiam tragoediam collocentur. Versu 135. praedicatur *ἡδὺς, ἐν ὄρεσσιν ὃς ἂν* (ita enim scribendum est) *ἐκ θιάσων δρομαίων πέσῃ πεδόσε.* Cf. v. 33. 38. 76. 165. Aristoph. Thesmophor. 995.

*ἐγὼ δὲ κώμοις*
*σε φιλοχόροισι μέλψω*
*Εὔϊον, ὦ Διόνυσε*
*Βρόμιε καὶ Σεμέλας παῖ,*
*χοροῖς τερπόμενος κατ' ὄρεα Νυμφῶν.*

Quocirca non inficete Viscontius T. IV. p. 233. suspicatus est, significari consuetas has orgiorum sedes rupe in illo typo (tab. 30.) adiecta. Itaque hoc nomine multi celebrabantur montes, velut ab ipso Euripide praeter Cithaeronem

et Parnassum praecipue Tmolus identidem memoratus, deinde Olympus v. 409. 554. 561., Ida in fragmento Palam. ap. Strabon. X. p. 720. c. Taygetum affert Virgil. Georg. II, 587. Inprimis autem constat claram fuisse Nysam, quamvis ab situ suo insigniter controversam ipsisque veteribus fere omnibus incognitam. Memoratur ab Eurip. Bacch. v. 556. Soph. Ant. 1116. fragm. inc. XCIV. (ap. Strab. XV. p. 1008.). Propter sylvas autem v. 38. feruntur Cadmi filiae sedere *χλωραῖς ὑπ' ἐλάταις, ἀνορόφοις πέτραις.* Eodem spectatur vss. 683—687. 1219. 1227. alias. Plus etiam momenti ad hanc facium illustrationem nocturna sacrorum celebritas addere debebat. Namque noctis illam caliginem, circumfusam augustae nemorum solitudini, iustam perspiciebant habere venerationem et sanctitatem non mediocrem. Pentheo enim v. 485. sciscitanti:

*τὰ δ' ἱερὰ νύκτωρ ἢ καθ' ἡμέραν τελεῖς;*

Bacchus respondet:

*νύκτωρ τὰ πολλά· σεμνότητ' ἔχει σκότος.*

Itaque Lycophron cum v. 209. *κρυφαίας χέρνιβας* dixisset, rationem Tzetza adiunxit hanc, *ὅτι ἐν παραβύστῳ τὰ μυστήρια τοῦ Διονύσου ἐτελεῖτο.* Eudocia Viol. p. 122. *Ἰστέον δὲ, ὅτι ἐννύχια τῷ Διονύσῳ ἐτελοῦντο τὰ μυστήρια.* Hinc sunt *παννύχιοι χοροί* ap. Eurip. 860. *βακχικαὶ νύκτες* Orph. h. LXXIX. Ovid. Met. VI, 588.

*Nox conscia sacris,*
*nocte sonat Rhodope tinnitibus aeris acuti,*
*nocte sua est egressa domo regina deique*
*ritibus instruitur.*

Indidem nomen suum invenit *νυκτέλιος Διόνυσος* ille, de quo v. Hermann. ad Orph. h. XLIX. Nonn. IX, 114. 115., qui *νυκτοφαῆ* eundem nominat l. XLIV, 218. et *σύνδρομον Μήνης* ib. 278. Sophocles autem in Antigona v. 1146. suavissime sic:

*ἰὼ πῦρ πνεόντων*
*χοράγ' ἄστρων, νυχίων*
*φθεγμάτων ἐπίσκοπε,*
*παῖ Διὸς γένεθλον.*

*Νυκτέλια* Bacchi *ἱερά* a Pausania memorantur duo l. II, 75. 37. fin. Quoniam ergo ad haec nocturna sacra non commodus solum, sed necessarius erat taedarum usus, Nonnus cum alias multifariam, tum eo loco, quem pro fundamento sumpsimus, posuit *νυκτιχόρευτον* φλόγα πεύκης et *ἀκοίμητον* Διόνυσον.

# Caput XI.

## *De instrumentis bacchantium musicis.*

Hactenus de iis partibus, quas amplectitur prius apparatus bacchici genus, satis expositum videtur: quae fere relinquuntur, infra absolventur. Deinceps in alterum genus transtulimus *instrumenta musica.* Eorum autem Nonni illo loco, nisi quod duobus *ῥόπτρῳ* et *κυμβάλοις*, nominatis, caeteroquin manca est recensio. Est enim tanta copia, ut prope nullum instrumentum non sit adhibitum ad Bacchi et Cybelae religionem: nam hac parte utraque prorsus non sunt separatae. Quoniam autem, quibus haec sacra curae erant, plurimo studio eum musicorum cantum consectabantur, qui numeris ferretur tam incitatis, ut eius ingens strepitus omnia personaret vehementissime, usu etiam maxime veniebant instrumenta ad id consilium accommodata, de Asianis populis pleraque adventicia, auctore Strabone l. X. p. 721. Alm. Etenim talis contentio apta inprimis visa erat ex bacchico mentis furibundae impetu, et vicissim hic impetus ex illa contentione.

Ad plenam eorum instrumentorum cognitionem capiendam plurimum valent: Phalaecii epigr. III. Anal. I. p. 421., quo praeter *ῥόπτρα* afferuntur *στρεπτὸς ῥόμβος* et *τύμπανον*, fragmenta poetarum apud Strab. X, 719., quae illis adiiciunt *κρόταλα*, et de Magnae Matris religione Homeri hymn. in Matr. Deor., qui numeratur XIII., epigrammata, praeter alia, Philippi Thessal. sextum in

Anal. II, 212., Erycii Cizyc. alterum ib. p. 493., denique anonymi quoddam ib. III, 184. n. 174., quibus praeter illa consignatae sunt *tibiae* et *σάγαρις*. Sed plenissima exhibetur enumeratio in Diogenis tragici fragmento quodam ap. Athen. XIV. p. 636 a., quod, quoniam de omnibus disserere alienum est, ut tamen cognoscerentur, huc transcripsimus. Est autem hoc:

*Καίτοι κλύω μὲν Ἀσιάδος μιτρηφόρους*
*Κυβέλας γυναῖκας, παῖδας ὀλβίων Φρυγῶν,*
*τυπάνοισι καὶ ῥόμβοισι καὶ χαλκοκτύπων*
*βόμβοις βρεμούσας ἀντίχερσι κυμβάλων*
*σοφὴν θεῶν ὑμνῳδὸν ἰατρόν θ' ἅμα.*
*κλύω δὲ Λυδὰς Βακτρίας τε παρθένους,*
*ποταμῷ παροίκους Ἅλυϊ, Τμωλίαν θεὸν*
*δαφνόσκιον κατ' ἄλσος Ἄρτεμιν σέβειν*
*ψαλμοῖς τριγώνων πηκτίδων ἀντιζύγοις*
*ὁλκοῖς κρεκούσας μάγαδιν, ἔνθα Περσικῷ*
*νόμῳ ξενωθεὶς αὐλὸς ὁμονοεῖ χοροῖς.*

In verbis nihil mutatum eius constitutionis, quam secundum aliorum emendationes fecit Guil. Dindorfius. Ceterum si quis harum rerum curiosus est, eius adiuvabunt studia hi scriptores. Praeter eos qui ab Casaub. de Sat. Poes. ejusque editore Rambachio p. 73. sunt allati, imprimis copiose in his versatus est Pignorius de Servis p. 86—95. (exemplar. August. a. 1613.) Tum comparare conducet interpp. ad Athen. l. c. Casaub. ad eund. V. p. 193. e. Brevior est Creuzer. de Symb. et Myth. III. p. 519. (489. ed. II.). *Ῥόμβον* et *ῥόπτρα* commentandi genere tam luculento, ut prope absit ab diffuso, illustravit Barkerus libello iam memorato Annotatt. ad Etymolog. M. T. II., p. 1118 sqq. ex. Sturz. Crotala a sistro, quocum confusa saepiuscule sunt, velut a Pignorio, Vulpio, Joa. Saresberiensi (VIII. c. 12. p. 513. exempl. Plantin. 1545.) dextre segregavit Salmasius ad Hist. Aug. Script. p. 492. ex. Paris. a. 1620. Cum cymbalis adeo permiscuit Zoëga I. p. 115. not. 64. Videbis autem crotala Centauri feminae manibus agitata in Mus. Piocl. T. IV. tab. 20., id quod gnaviter perspexit

Viscontius p. 184. Postremo de pectide exposuit nonnulla Iacobs. ad Cometae Scholast. ep. III. Animadvv. ad Anth. Gr. T. III. P. I. p. 25.

Ab Euripide praeter *tibiam* et *tympanum* ceterorum nstrumentorum omnium est intermissa usurpatio. Sed tympanum Bacchi et Rheae commune inventum (v. 59.), cum flatu tibiarum modulate et dulciter sonante Corybantes perpulserunt, deque his petitam consuetudinem Satyri in sacra Bacchi trieterica induxerunt, ut est V. 123—134. Itaque cum tympano in scena apparuerunt Bacchae, ex quibus chorus erat constitutus, et ad eius cantus numerosque Dionysi laudes persequebantur, tibia aptis modorum flexionibus rite concinente. Hoc est. v. 159. sqq., sic expressum:

*Μέλπετε τὸν Διόνυσον*
*βαρυβρόμων ὑπὸ τυμπάνων,*
*εὔϊα τὸν εὔϊον ἀγαλλόμεναι θεὸν*
*ἐν Φρυγίαισι βοαῖς ἐνοπαῖσί τε,*
*λωτὸς ὅταν εὐκέλαδος ἱερὸς ἱερὰ*
*παίγματα βρέμῃ σύνοχα φοιτάσιν εἰς ὄρος.*

Quod ad tibias attinet, earum usu necessitudo continebatur non sane levis ad orgiastica sacra cum universa tum inprimis bacchica idonea accuratione conficienda. Quare earum mentionem vix ullus ut arbitror oblitus est scriptorum, qui hoc rerum genus tractarunt. Apud Nonnum est ex c. l. XLV, 43.

*καί τις ἑοῦ θαλάμοιο χοροίτυπος ἔκθορε κούρη,*
*αὐλὸς ὅτε τρητοῖσι πόροις ἰάχησε κεράστης.*

Tibiam, cymbala et tympanum eo nomine composuerunt Statius in Theb. II, 77. IV, 668. Achill. II, 154. Ovidius Metam. III, 532—537. Catull. LXIII, 21. Sed de his vide, qui tibiarum apud veteres rationes libris tribus Amstelodami a. 1678. publicatis erudite et plene perscrutatus est, Casp. Bartholinum l. II. c. 9. Nititur autem illa cum bacchicis coniunctio fundamento eo, quod supra diximus cerni in concitato numerorum genere. Namque tibia cum-

primis est ex iis instrumentis, quorum cantibus vehementius animi pelluntur. Declaravit hoc Aristoteles de Republ. VIII, 6. *οὐκ ἔστιν ὁ αὐλὸς ἠθικὸν ὄργανον ἀλλὰ μᾶλλον ὀργιαστικόν*, et cap. 7. *ἔχει γὰρ τὴν αὐτὴν δύναμιν ἡ Φρυγιστὶ τῶν ἁρμονιῶν, ἥνπερ αὐλὸς ἐν τοῖς ὀργάνοις· ἄμφω γὰρ ὀργιαστικὰ καὶ παθητικά. πᾶσα γὰρ βακχεία καὶ πᾶσα ἡ τοιαύτη κίνησις μάλιστα τῶν ὀργάνων ἐστὶν ἐν τοῖς αὐλοῖς.* Cum vero plures essent tibiarum species, bacchicae maxime visae sunt eae, quae *βόμβυκες* vocabantur. Pollux IV, 82. *τὸ τῶν βομβύκων ἔνθεον καὶ μανικὸν τὸ ἄθλημα, πρέπον ὀργίοις.* Itaque id genus Aeschylus cum Cotyis deae apud Edonos cultae sociavit sacris orgiasticis. Tum autem *geminas tibias*, de quibus locutus est praeter Bartholinum I. c. 5. et 6. p. 50. sqq. Salmasius ad Hist. A. Scr. p. 494., earumque *biforem cantum* vel *biforem tumultum*, ut est in poëtis, studiose applicarunt tam ad dionysiacam religionem, quam ad Magnae Matris. De dionysiaca exempla huc pertinent ex superioribus quaedam, de altera satis est excitasse Zoëgam I. p. 142. not. 126.

In monumentis tibiae constanter solent inflari a Satyris omninoque ab virili bacchicae cohortis parte, muliebris aliis utitur instrumentis, cymbalis maximam partem et tympanis. Contra in vasculorum picturis feminis non infrequenter attribuuntur. Verum ab harum comparatione si et abstinuimus hucusque et porro abstinebimus, situm hoc est in eo, quod argumentorum ibi tractatorum exempla et descriptiones longissime diversae sunt ab his, in quibus tragici versati sunt, bacchicis fabulis. Etenim Graecia illa Magna etsi principalem et institutorum et religionum originem duxit ex altera Graecia, tamen illis usa velut fundamentis discrepantem postea cultum et perfectionem constituit, et bacchicae inprimis religionis plane aliam effecit faciem, multis partim aliunde adventiciis partim de suo adiunctis. Quoniam autem hinc maximam partem vasculorum picturae sunt profectae, nisi quae Etruscae fuerunt originis, iudicari iam

ɔotest, quam non ad earum normam dirigi quisquam deɔeat in nostra caussa: ad eam habent potissimum vim ac ;ravitatem, qui de antiquis ac germanis illis Graecis imiationes sumpserunt, typi marmorei. Plenius has monunentorum rationes explicavit Boettiger. in Archaeol. Pict. I. ɔ. 197. Sed enim cum ab Graecorum, dico indigenarum, ensu decori intelligentissimo tibiarum cum feminis coniunɔtio longissime abhorreret, eadem repudiata est in simuacris, nec etiamsi maxime fuerit bacchica, a tragoedia deɔebat ascisci. Tum etiam supervacaneum aut nullum usum ıoc instrumentum apud Bacchas habebat propter tibicinem, quem in scena vocum cantus vel comitatum esse vel moleratum cum in universum constat, tum de Euripidio choro erspicue proditum est verbis illis paullo ante transcriptis. Vam si, quae per se est ludorum scenicorum cum Bacchi umine necessitudo, ea quodammodo cumulatur numeroum accessione deo gratissimorum, hinc Euripides profetus scite rem in eam traxit partem, quasi propter bacchium solummodo suae scenae argumentum tibicen adhibeetur.

Verum tamen quoniam in musicorum instrumentorum onis non minimum bacchici apparatus momentum cerneatur, eam in Bacchabus non plane praetermittendam esse ationem Euripides intelligens, elegit tympanum, ut quod sset honestissimum, divinae adeo personae Rheae assinatum, et elegit unum, quoniam multiplici varioque modoum concentu tragoediae gravitatem sentiebat in lasciviam ramatis satyrici depressam. Est autem in tympani vi et su explicando doctus homo versatus et multarum rerum eritissimus Jac. Perizonius ad Aelian. IX, 8. Nec tamen, tsi maximam ille eruditionem perscrutatus est in hac quaetione, omnia quae suppetebant aut diligentia consecutus st, aut satis ponderavit ingenio. Quare appositum visum st, quasi secundariam adhibere operam, illi supplemento ıturam studiosiusque in Graecis collocatam, cum Perizonius e latinis maxime scriptoribus materias desumpserit.

Igitur τύμπανον vel τύπανον, quam principalem esse formam origo evincit ad τύπτειν verbum recte relata ab Etym. M. p. 771, 43., est corium mollitum, obtentum circulo ligneo modice amplo, vel ut ait Isidor. Origin. XI, 21., *pellis vel corium ligno ex una parte extensum.* Nempe ex altera parte propter promissum parumper ligni ambitum concava patebat altitudo. Plura de forma suppeditat Perizonius. Quoniam vero in orbem sic est incitatum, cum rotis non radiatis contenditur ab Probo ad Virgil. Georg. I, 163.: *Plaustra sunt vehicula, quorum rotae non radiatae sed tympana cohaerentia axi et iuncta cantho ferreo.* Vel potius id ipsum tympanorum nomen de rotarum quodam genere non radiato usurpabatur, ut est apud Varron. R. R. III, 5, 15. testimonio uberius tractato a Schneidero in notis et ab Gesnero in lex. ad Scr. R. R. s. v. p. 400 exemplar. Schneid. Reperitur vocabulum ea potestate in Virgil. Georg. II, 449. Sed in instrumento musico corii mentio saepiuscule iniicitur, velut Eurip. Hel. 1272. βυρσοτενῆ τύμπανα, Bacch. 513. βύρσης κτύπος, 104. βυρσότονον κύκλωμα. Et quoniam taurorum pelles prae ceteris huic usui serviebant, repetendi inde sunt *taurini pulsus* in Stat. Theb. II, 78. *taurea terga* apud Ovid. Fast. IV, 341., id quod Statius Achill. II, 157. dixit *Evia terga.* Nonnus XLV, 16. XLIV, 29. et alias βοείην vocavit, paullo ornatius XIV, 135. βαρύβρομα νῶτα βοείης. Verum is ab omnibus, ut opinor, discessit eo, quod corium usquequaque affert non mollitum, quemadmodum XLIV, 15. κτύπος οὐρεσίφοιτος ἀδεψήτοιο βοείης, et XLV, 44. κτύπος ἀμφιβόητος ἀδεψήτοιο βοείης. Etiam aliae adhibitae sunt pelles: asininas docet Boettigerus de Art. Mythol. I. p. 377., caprinas coniicere licet ex Orphei fragmento quodam, a Proclo de Theol. Plat. IV, 16. p. 206. valde mutilate et corrupte tradito. Verba consignata sunt in Apospasm. XXVII. apud Hermannum pag. 485. in hunc modum: *Παρ' Ὀρφεῖ λέγεται* (nempe Adrastea) *τὸν ὅλων* + + + + *δημιουρ-*

γὸν καὶ „χάλκεα ῥόπτρα λαβοῦσα“ καὶ „τύμπανον αἴγηκες“ οὕτως ἠχεῖν κ. τ. λ. Etenim in locum vocis αἴγηκες, quae nihili est, substituendum suspicor αἴγειον, τύμπανον αἴγειον similiter ut ἀσκὸς αἴγειος apud Homer. H. III, 247.

Pulsatum resonabat gravissimos presseque obtusos sonos, qui temperari solebant acutis tintinnabulis, ἠχείοις, ligno intus appensis (cf. Perizonium), aut admiscendo κώδωνας ὀρειχάλκου, ut est apud Suid. s. v. τύμπανα. *Raucum* appellant sonum Romani poëtae apud Perizonium, βαρὺν Graeci, ut Phalaecius epigr. crit. v. 5. Ἠχήεντα τύμπανα habet epigr. inc. 174. Interdum strepitu tam horrisono aures personabat, ut lepide ficta ab Dioscoride epigr. XI. Anal. I, 495. exstet historiola, qua Cybelae sacerdos casu in leonis cubile delatus belluam narratur in fugam coniecisse, tympano forte percusso non mediocriter perterritam:

οὐ βαρὺ μυκήσαντος ὁ θαρσαλεώτερος ἄλλων
τετραπόδων ἐλάφων ἔδραμεν ὀξύτερον,
τὸν βαρὺν οὐ μείνας ἀκοῆς ψόφον.

Horrorem illum ipso describendi genere effingere quodammodo conatus est Aeschylus fragm. ap. Strabon. X, 721. c.:

— ψαλμὸς δ' ἀλαλάζει,
ταυρόφθογγοι δ' ὑπομυκῶνταί
ποθεν ἐξ ἀφανοῦς φοβεροὶ μῖμοι,
τυπάνων ἀχὼ δ' ὥσθ' ὑπογείου
βροντῆς φέρεται βαρυταρβής.

Sic enim corrigenda putavi verba in Strabonis exemplaribus admodum mendose divulgata. Ac primum scripsi ὑπομυκῶνται, gravius eoque aptius ad aures accidens, quam quod traditum est ὑπομηκῶνται, et debebat certe ὑπομακῶνται. Deinde hiatum cum relicua pravitate in versu, τυμπάνων δ' ἠχὼ ὥςθ' ὑπογείου, permutata duorum vocabulorum collocatione levius sublatum credidi, quam Naekii divinatione hac: τυπάνων δ' εἴκων κ. τ. λ., quae proposita est in Sched. Crit. p. 24. Attamen videsis,

ne ab alia, quae in promptu est, versuum descriptione iusta hiatus excusatio peti debeat. Sed haec in transcursu monuimus.

Temperabant tympanum aut digito aut palma. De illo valent ἀραξόχειρα τύμπανα apud Philipp. Thess. ep. VI., eandemque rationem aspectu cognoscere licet ex Zoëg. tab. 10. Posteriorem affert Lucretius II, 619.: *Tympana tenta tonant palmis.* Alia exempla enotavit Perizonius. Eam ob rem, quoniam dextra vulgo habetur ad pulsandum fortior eoque ad eliciendam sonitus quamdam vehementiam aptior, instrumentum in monumentis laeva paullo sublimius teneri solet. Quamquam contraria ratio non plane est repudiata, oculisque proponitur, ut exemplo utar, in duarum Maenadum figuris apud Zoëg. tab. 5. Mater vero deorum, Rhea vel Cybela (nam ea nomina principio diversa promiscue deinceps sunt usurpata) cui non solum dedicatum est tympanum, quocirca τυμπανόδουπος appellatur in Orph. h. XIII, 5., sed eiusdem inventio, cum Baccho quidem participata, ab Eurip. v. 59., omisso tamen illo, ab Diodoro III, 58. tribuitur: Rhea igitur dum est in curru vel in solio collocata vel denique leone vecta, sinistra comprehendit aut sursum paullo sublatum aut innixum genu. Conf. Boettiger. de Artis Myth. I. p. 287. Nec tamen manu ubique ferit, sed saepius etiam virgula quadam vel flagro illo talis tessellato. Conf. Zoëg. I. p. 116. not. 66. 67. Atque tale velut plectrum solitarium eius attributum fuisse videtur, arbitror, quo dea de Baccharum ceteroque grege distingueretur honorifice. Sed de monumentis admonendum etiam illud est, quod tympanum vulgo solet cum feminarum figuris esse coniunctum, cum virorum, si exceperis Gallos semiviros, rarissime. De uno quidem recordor Satyro in Mus. Pioclem. I. IV. tab. 22. Cuius rei hanc credo fuisse caussam. Etenim quod de tibiarum usu in more positum sensuque Graecorum ante annotavimus, id contrarium in tympani partem videtur trahi debere, ut muliebri sexui magis honestum iudicaretur quam

virili. Quapropter τυμπανιστριῶν longe frequentior est commemoratio quam τυμπανιστῶν. Uti etiam pro argumento licet epigrammate quodam, ex incertis CXV. in Anal. III, 173. Quo cum Timareta fingitur ob nuptias instantes Dianae dedicare sua crepundia, in his, quoniam est virgo, afferuntur etiam τὰ τύμπανα. Quamquam hic cogitaritne potius poëta de cymbalis quam de tympano, ob plurativum numerum non ita exploratum est. Namque utriusque instrumenti confusio cum saepiuscule deprehenditur, tum aliquoties est tanta, ut quomodo te expedias ex negotio, nequicquam mente circumspicias. Manifestum quidem errorem Arriani, Rheae κύμβαλον assignantis in Peripl. Pont. Eux. p. 9., pridem coarguit Zoëga I. p. 86. not. 8. Nec id videtur in incerto haberi, quod idem perspexit Zoëga p. 115. not. 64., Pindarum apud Strabon. X. p. 719. b., tametsi dixerit μεγάλοι ῥόμβοι κυμβάλων, tamen de tympano sensisse. Et par permistio sexcenties reperitur, creata ut opinor non modo ignoratione veri, sed sonorum etiam in utroque vocabulo similitudine. Attamen nihil dubitationis habet, quin ab illo instrumento cymbala differant, comprobatumque a Burmanno est ad Anthol. Lat. T. II. p. 503. et ab Zoëga p. 142 not. 126. fin., denique suis cuiusque sensibus comprehenditur in artis monumentis. Sunt enim cymbala aera usquequaque bina, pelvium fere exaequantia figuram, quae ubi concutiuntur, sonum referunt acutum et excitatum. Quocirca a Philippo Thess. epigr. VI. vocantur κύμβαλ' ὀξύδουπα κοιλοχείλεα, ab Erycio Cizyc. ep. II. ὀρειχάλκου λάλα κύμβαλα. Propter materiam non raro χαλκός simpliciter de iis usurpatur, ut Eurip. Hel. 1303, ab Latinis *aera*. Stat. Theb. II, 78. Achill. II, 154. Ovid. Met. III, 532. *Teretes tenuis tinnitus aeris* velut sonum imitans dixit Catull. XLIV, 12. Postremo quoniam bina semper habentur, Nonnus circumlocutione usus hac est, ut poneret δίζυγα χαλκόν innumerabilibus exemplis, quo de genere sunt l. XVI, 119. XIV, 353.

Ceterum tympanum barbarae nationes, Asianae maxime, ad bellica canenda adhibebant, similiter ut de simili instrumento fit in nostratium militia. Parthorum hanc consuetudinem demonstravit Perizonius, de Indis, qui acuta cum gravibus temperantes *κώδωνας* adeo *ὀρειχάλκου ἐνήρμοζον*, scribit Suidas s. v. *τύμπανα*. Ad extremum de vocabuli graeci ratione restat hoc admonere notatu dignum, repertam semel esse masculinam formam *τύμπανος* apud Dioscorid. epigr. cit. v. 10. *εἰς τὸν ἑὸν τύμπανον ἧκε χέρας.* De quo animadvertendi opportunitatem non neglexit Suidas s. v. *τύμπανος*.

---

## Caput XII.

### *De Baccharum apud Euripidem habitu scenico.*

Haec de bacchica supellectile generaliter disputata sunto. Nunc autem cum de universo hoc et permisto apparatu scenicus Baccharum Euripidiarum habitus sit deducendus, antea intelligo, quoniam omnis in eo consistit existimatio, a me adumbrari oportere, quale poëta informarit illarum ingenium, qualemve indolem. Atque hac in caussa summam potestatem habet illud, quod supra docuimus, quae chori partes sustinerent, Bacchas Lydas vel Phrygias plane seiunctas esse a Thebanis, quibus si in scena agendi minus loci est, necessitate tamen cum fabulae argumento cohaerent. Nam Lydae quoniam severiorem totius bacchicae religionis personam quasi ab ipso deo impositam tueri finguntur, et sic sacerdotio quodam sanctissimo sunt praeditae, quamvis divino ferantur impetu, afferunt tamen furoris genus apta quadam gravitate temperatam. Quare ubi cantu persequuntur aut Dionysi laudes aut bacchanalium gaudia, perfusa quidem mens est sensu voluptatis iucundissimo, sed disiuncta eadem ab laetitia praeter modum effrenata, nec unquam plane dimovetur e sua sede ac statu.

Et cum primum carmen choricum in enarrandis bacchantium furoribus versetur totum ac paene de dithyrambico sit genere, tamen nihil est nimium, nihil effervescens liberius, nihil inflammatum libidinibus: attamen omnia ad insaniae cuiusdam impulsum apta, omnia animi exsultantis elationi convenientia. Hoc autem canticum quoniam de omnibus est fervidissimum ac prope unum vere bacchicum, vide ne idem accommodatissime collocatum in principio sit ipsumque comitetur introitum. Nam in scena ab his rebus prorsus aliena sensim ac pedetentim extenuatur motus ille vehementior, et sunt carmina, in quibus penitus resedit. Tum chorus meditate contemplatur aliorum consilia et acta, pudorem sententiose inculcat et sapientiam, commentatur futurum eventum et divinatur miserias, denique similiter omnino agit, ut in aliis tragoediis chorus. Documento his sunt vss. 385 — 399. 880 — 909. et maxime 975 — 1022.

Multo petulantior Thebanarum bacchatio describitur: in iis ardentissimus furorum impetus, praeceps et ignita quaedam insania animusque tam effuse exsultans, ut totae compareant divino affiatu percitae, et cohibere se non posse videatur furiosa vis, nec quo loco vult insistere omnino. Igitur deo instigante vecors amentia ad extremum eo usque adigitur, quo propter nefandam Penthei caedem dolor insequitur excrucians et urens acerbissime. Quamvis autem immoderatius iactentur, non tamen quicquam est ultra pudicitiam gestiens, nec foedius peccatur in verecundiam. Etenim ipsae vss. 314 — 319. statuuntur documentum, quam longe absit ab lascivia et impudentia laetissima bacchanalium festivitas. Quapropter a vinolentia v. 685. defenduntur studioque voluptatis venereae: quae convicia in illas quidem coniecerat Pentheus v. 223., in cunctas autem fabulae personas Clemens Alexandrinus traduxit, sanctissimus scilicet ille hominum gentilium perversitatis exagitator. In summa ostenditur, quanta maxima divini numinis instinctu concitari potest, laetitae inflammatio et quasi ex-

9 *

aggeratio quaedam altissima, qua corporis gestus agitur multimodis iactatus et omnia negotia ab insania divinitus iniecta proficiscuntur.

Iam vero quoniam ex iis, quae ad oculorum sensum sunt proposita, optime potest habitus scenici si minus perfecta, tamen adumbrata duci intelligentia, harum utrarumque Baccharum cum priscis artis operibus comparatio multum habet difficultatis, nec quicquam prodest nisi cautissime instituta. Etenim offertur sane nullum monimentorum genus frequentius, quam quod in personis bacchicis et bacchanalibus effingendis versatur, et antiquissimis iam temporibus eiusmodi argumentis non minus operae impertitum est ab artificibus quam a poëtis scenicis, ita ut videatur utriusque partis fuisse cum certatio tum communicatio etiam materiae. Ac maxima apud omnes gloria erat Scopae Baccha, crinibus admodum effusis, et vehementissimo insaniae motu dilanians capram, et quasi Cithaeronis desiderio aestuans, quemadmodum descripsit Callistratus de Stat. II. p. 892. De Simonidis in eam epigrammate monuimus antea, de Glauci nunc licet: est tertium in Anal. II. p. 347. Diversa virtute Praxitelis Maenades elucebant, in quibus furoris impetus verecunda quadam gravitate erat temperatus. Plenius de his et similibus simulacris locutus est Boettigerus in libro teutonice conscripto, titulo hoc: *Andeutungen zu 24 Vorlesungen über die Archaeolog.* p. 157. sq. Verum enim vero quae ad nostram memoriam propagata sunt bacchicas res tractantia inferiorum artificum opera: dico autem potissimum typos, plane excipio vasculorum picturas: ea quamvis sint plurima, tamen de paucissimis sumi potest regula, ad quam de Euripidiarum Baccharum specie iudicium dirigatur, id quod non praeteriit ingeniosum Viscontium Mus. Pioclem. T. IV. p. 230. ad tab. 30. Nempe pugnat ex hac parte pudor, illinc petulantia et obscoenitas quaedam in Baccharum imaginibus plerumque obiecta, quoniam corpora sunt ex parte nudata, interdum nimium etiam in modum. Attamen de duobus

recordor monumentis, quae ab ingenii similitudine existimo cum Euripidis Bacchabus apte posse contendi. Nam ad chori fere informandam indolem non mediocriter faciunt duo mulierum saltantium simulacra apud Zoëg. tab. 19., quarum una cymbala concutit, tympanum pulsat altera. Vestimenta sunt ampla et eleganter fluitantia. Sed saltatorios orbes versant satis modestos nec ita concitatos, ut solent esse Maenadum. Quid quod iudice Zoëga gravitatem quandam prae se fert ac severitatem saltatio, ita ut tragica illa ἐμμέλεια repraesentari videatur cummaxime? Quare etiam commotus Zoëga est, ut non tam pro Bacchis acciperet has figuras quam pro scenicis saltatricibus; exagitatum tamen probe est vel certe addubitatum id genus plane insolitum, nec testimoniis munitum ullis, ab Welckero ibid. p. 181. not. a. In Thebanas autem Bacchas, quales a pastore describuntur v. 691. sqq., bene conveniunt quae expressae sunt Maenades ap. Zoëg. tab. 83. et 84., commotis excitatae sacris, furore inflammatae et in animalibus discerpendis occupatae. Nec plane forsitan abhorreat illorum supra memoratorum operum contentio, Scopae quidem cum Thebanis, Praxitelis autem cum chori personis.

Haec paullo generalius exposita praemisimus, quorum in singulis uteremur fundamento ac pondere. Consistet autem residua disputatio in chori praecipue specie scenica, tum quoniam quae ad Thebanas Maenadas pertinerent, eorum plurimam partem in universo apparatu enarravimus (cetera idoneo loco memorare non omittemus) tum quod harum paene nullae sunt in scena ipsa partes. Ac primum manifestum est, illi animi indoli vel affectioni consentaneum inprimis fuisse vultum. Itaque quamquam de personae non modo dilucide scriptum quicquam sed ne significatum quidem reperitur, tamen faciem coniicere licet ostensam esse non horridam et incultam, verum in qua furoris quidam afflatus apposita severitatis moderatione bene mistus et compositus esset. Sunt autem ab Musgravio ad fab. 457. duo Nonni testimonia (l. XXVII. v. 205. et v. 228.) exci-

tata, quibus bacchanalia et mysteria celebrantium traditur consuetudo ora illinendi gypso: μύστιδι vel μυστοπόλῳ γύψῳ. Quamquam huius rei mentio prorsus abhorret ab illo Euripideo dicto. Sed morem fucandi aliquo modo vultus non ita insolentem in bacchica religione testatur quoque Harpocratio s. v. ἀπομάττων, de recentioribus persequitur Reiskius ad Demosth. pro Cor. p. 313, 17. Initiati videlicet solebant gypso, argilla et furfuribus fricari. Fontem consuetudinis Harpocratio scribit esse τὰ μυθολογούμενα παρ' ἐνίοις, ὡς ἄρα οἱ Τιτᾶνες τὸν Διόνυσον ἐλυμήναντο καταπλασάμενοι ἐπὶ τῷ μὴ γνώριμον γενέσθαι. Quocum ad originem aut instituti rationem forsitan coniunctum, certe ad comparationem non alienum est, quod Pausan. II, 2, 5. apud Corinthios collocata fuisse narrat Dionysi inaurata simulacra, quorum ora minio erant oblita: Διονύσου ξόανα ἐπίχρυσα πλὴν τῶν προσώπων· τὰ δὲ πρόσωπα ἀλοιφῇ σφισιν ἐρυθρᾷ κεκόσμηνται. Talia vero, quamquam obscura, vestigia ubi cum eo componuntur, quod non inusitatum demonstravit Boettiger. de Pers. Fur. p. 120 — 122., coloratam quodammodo in scena prae se ferre faciem, licet sane coniecturam facere de Baccharum vultibus secundum orgiorum consuetudinem fucatis, ita vero ut non deformarentur, sed pallor quidam ob os offunderetur ad animi affectionem accommodatus.

Sed valde ambiguam nunc aggredimur disquisitionem de crinium habitu ceteroque capitis ornatu. Nam etsi superioribus demonstravimus inprimis cerni bacchicum quiddam non solum in vario coronamentorum genere, sed in capilli etiam cultu negligentius relaxato, tamen hoc posterius dici non potest quam parum chori gravitati sit conveniens. Nec enim universe cum tragoediae dignitate externi habitus remissio bene congrua est, nisi nixa illa momento animi perturbatius commoti. In Baccharum autem choro opinor poëtarum rationes non multum discrepuisse ab opificum, qui cum in longe plurimis simulacris capillos effusos aut plane aspernati sunt, aut certe quadam medio-

critate temperarunt, videntur ducti esse verissimo suo decori sensu. Quod si artifex, qui caelavit multa formarum varietate typum tab. 83. 84. ap. Zoëg. expressum, illas figuras caeteroquin satis bacchantes aut calanticis aut fasciis et diadematis aut composita certe coma maluit uti quam incompta et sparsa, Euripidem profecto credibile est in illo Lydarum choro, quo id quod bacchicum est affertur verecundius quam vehementius, adhibuisse crinium cultum si non arte comptum, at cincinnis tamen admodum modeste effusis et aliqua certe ratione digestis. Praeterea deesse non debebat hederae redimiculum, nisi erat multiplex plantarum bacchicarum usus. Nam in illo genere per totam fabulam amplissimum ponitur religionis orgiasticae ornamentum, quo qui pie veneretur carere nec possit nec debeat. At serpentium aspectus teter et horribilis nihil est dubitationis quin in choricis personis sit evitatus. Nam licet ipse chorus Maenadas tradat v. 101. os cingere anguibus, tenendum tamen accurate illud est, duo esse Baccharum genera inter se disiunctissima, alterum, quod cum in orgiis et sacris conficiendis diligentissime occupatum memoretur, nullam apparatus partem a se habere potest semotam, alterum, quod quasi sacerdotio quodam praeditum ornatu utitur bacchico quidem, verum secundum huius rei gravitatem descripto. In illo genere celebrando ibi versatur chorus, hoc repraesentat ipse.

Aliud est longe difficilius illud, quod Pentheus cum *σκευὴν γυναικὸς Μαινάδος* (v. 913.) indueret, etiam *mitram* capiti imposuisse scribitur v. 831. *ἐπὶ κάρᾳ δ' ἔσται μίτρα.* Nam ambigitur in eo, utrum haec mitra, usurpata etiam v. 927. et 1113., ad proprium et peculiarem Baccharum vestitum referenda sit, an de communi mulierum mundo repetita videatur. Postrema sane valet ratio, ubi auctoritatis aliquid conceditur Nonni imitationi, qui *καλύπτρην* in mitrae locum substituendo satis declarat, quam universe acceperit Euripidia verba. Nam apud eum Pentheus l. XLVI, 111.

*Αὐτονόης ἔσφιγξεν ἐπὶ πλοκαμῖσι καλύπτρην.*

Nec ejusmodi interpretationem aspernatur *μίτρα* vocabulum. Nam in partibus muliebris ornatus mitram recensuit Aristophanes in fragm. ap. Polluc. VII, 95., et iuxta *κεκρύφαλον* in Thesmoph. 263. collocavit. At contra pugnat pondus aliquanto forsan maius, quod *μίτραι* perspicue traduntur ex instrumentis esse ad bacchicam religionem necessariis. Nam Baccho ipsi mitram tribui ut proprium gestamen supra explanatum est. In pompa autem Ptolemaei circumferebatur ara, *βωμὸς ἔχων ἀμπέλινον χρυσοῦν στέφανον μεσολεύκοις μίτραις κατειλημμένον*, ut est ap. Athen. p. 197. f., et in simulacro Dionysi *προςήρτηντο καὶ στέφανοι καὶ ταινίαι καὶ θύρσοι καὶ τύμπανα καὶ μίτραι*, ibid. p. 198. d. Nec non Nysae thyrsus memoratur *ἐστεμμένος μίτραις* ibid. 198. f., sed quoniam in his mitris non consistit capitis quoddam decus, fortasse earum comparationem minus statuas appositam. Removetur et haec dubitatio eo, quod Euantha Baccha apud Phalaecium epigr. III. crines habet mitra religatos, v. 6.: *φορηθὲν πολλάκι μιτροδέτου λίκνον ὕπερθε κόμης.* Quo vide ne spectent quoque *τὰ στέμματα* Maenadis Porphyridis in Agath. epigr. XXXI. Apud Statium id ornamentum ab Parthenopaeo dilucide designatur tanquam maxime bacchicum verbis his:

*Non me sub nocte silenti*
*Thyas Echionio genitrix famulata Lyaeo*
*Edidit: haud unquam deformes vertice mitras*
*Induimus turpique manu iactavimus hastam.*

Sed priusquam de hac ambiguitate quicquam potest decerni, necesse est ut mitrae ratio, et quotuplici servierit usui, diligentius examinetur. Ac principio quoniam promptum est, *μίτρα* vocabulum cognatum esse cum *μίτος*, quod est filum vel subtemen (cf. Salmas. ad H. A. Scr. p. 127. f. 224. e.), controversia esse nulla potest, quin proprie aliquid ex filis contextum significet. Hinc primariam credo deductam potestatem eam, qua significat

ligamentum vel fasciam: *ταινίαν* explicandi caussa in glossa posuit Hesychius. Ita Qu. Smyrnaeus IV, 213. de fascia ad vulnus obligandum adhibita dixit, quae fascia alias vocatur *τελαμών*. Exempli huius mentionem ab Schneidero mutuatus sum, qui enotavit lex. gr. s. v. Deinceps pervagatissima consuetudine sic est usurpatum, ut de alvi fascia, de cingulo valeret, apud Homerum quidem de lanea alvi fascia (*μίτραν ἐριώδη ἔσωθεν* grammatici vocant) quam laminis obductam ferebant loricati, ad frictionis propulsationem simul et coniunctionem duarum loricae partium, *ζώματος* videlicet et *θώρακος*. Ita est Il. IV, 187. Etymologici M. p. 589, 9. glossa exstat haec: *Μίτρα, ζώνη ἡ διὰ τοῦ μίτου ὑφαινομένη. ἐφορεῖτο δὲ ἐσωτέρα τῆς λαγόνος ἡ χαλκῆ λεπίς, ἣν ζώννυνται περὶ τὸν κενεῶνα χάριν πλείονος ἀσφαλείας. ἔστι δὲ προγαστρίδιός τις ὅπλισις ἁλυσιδωτὴ τῶν πρὸ τοῦ ἦτρου φυλακτική.* Explanavit hoc cinguli genus Boettiger. de Pict. Vas. I, 2, 84. Tum pro ipsa loricae inferiore parte, *ζώματι*, quae subligaculi instar parti pudendae munimento erat, et cuius infra pleniorem trademus descriptionem, est acceptum. Etym. M. p. 83, 54. *μίτραι γὰρ ζῶναι χαλκαὶ πρὸ τῶν αἰδοίων*, ubi comparant edd. Hom. Il. *π*, 419. et scholia ad hoc dictum. Cum hoc Homeri usu proxime coniunctus est is, quem in cinguli significatione cerni modo diximus. Itaque cum de mulierum potissimum cingulis usurparetur, non de strophio solum valuit, ut falso docuit Winckelm. Art. Ant. Hist. VI, 1, 19., sed de balteo etiam lumbis iniecto. Nam testimonio est satis aperto Nonnus X, 10.: *λύσας δὲ παρ' ἰξύϊ κυκλάδα μίτρην.* M. Argentarius ep. XX. in Anal. II, 270. mitram et strophium (*ἀγλαὰ μαστόδετα*) perspicue distinguit. Sed strophium intellexit Hedylus ep. V. Anal. I, 466., et quos ibi affert Jacobsius, Callimach. ep. XX. An. I, 166., Auct. Epigr. CXIV. T. III. p. 173. Idem genus an iure in Theocr. Id. XXVII, 54. amplexi sint interpretes, incertum est et consistit summa iudicii in eo, ut explanetur, utro potissimum cingulo vir-

ginitas declarata sit, id quod ambiguum est cummaxime. Sed in virginitatis partem vocabulum libentius traduxerunt scriptores, tralaticia illa opinione, qua in zonae ornamento virginalem castitatem volebant esse conspicuam. Ita est ap. Apoll. Rhod. IV, 1042. Callim. in Jov. 21. ubi conferre licet Spanhemium. Luculentus in hac re est sed in nonnullis minus probabilis Schraderus Animadvv. ad Mus. p. 345. sqq. Eodem spectasse Callimachum, cum dixit *παῖδας ἀμίτρους*, quae nondum virginis aetatem attigissent, ostensum est a Spanhem. p. 140. ap. Graev. in Dian. v. 14. Sed est haec cinguli significatio pervulgata satis ac trita multis hominum doctissimorum animadversionibus. Hoc autem loco non possum non insignem castigare Moseri levitatem, qui mitram audacter pronuntiavit esse capitis ornamentum in scriptore, cui ne innotuit quidem haec vocabuli potestas. Nempe cingulum ubivis intellexit, quem donavit Moserus crasso commentario, ille Nonnus. Exempla sufficiet supponere haec: l. XLVIII, 374. 402. 447. 461. 654. 658. XXXVIII, 294. XLII, 69. VIII. 214. V, 312. Sed l. XLVI, 112. contra Graefium, *κυκλάδι μίτρῃ* corrigentem loco *κυκλάδι τέχνῃ*, vehementer pugno propter exemplum plane geminum l. XLIII, 270. Quod autem maximum est, exstat Moseri illa eruditio p. 179. ad l. VIII. v. 214, ubi Semela *post violatam virginitatem* compellatur sic:

εἰπὲ δέ μοι, μὴ κρύπτε τεῆς συλήτορα μίτρης.

In talibus levitatis speciminibus quis est qui continere se possit, quin acerbam quidem sed iustissimam esse censeat in Moserum animadversionem viri egregie subtilis optimeque cordati Heinrichii in notis ad Cic. de Rep. P. I. p. 206.

Deinde vim, quam principalem huius vocabuli posuimus, licet eo usu cognoscere, quo declarantur taeniae laneae vel vittae, quales victoribus solebant impingi. Tractavimus id genus cap. VI. Sic iuxta *στέφανος* est collocatum apud Eurip. Electr. 163.

*οὐ μίτραις σε γυνὴ*
*δέξατ' οὐδ' ἐπὶ στεφάνοις.*

Pindarus Olymp. IX, 84., quem ibi citavit Matthias: *Ἰσθμίκισι Λαμπρομάχου μίτραις.* Diadematis significationem satis hic est verbo attigisse: demonstratam recordabere alibi.

His ita constitutis mirum sit, si a fasciae specie abhorruerit illa mitra, qua pro capitis ornamento utebantur mulieres. Nec in Graecis abhorruit. Sciendum est autem triplici genere mundum mulierum capitalem comprehendi, calanticis, velis et fasciis vel diadematis. Ad eorum postremum quae referuntur, variae species vel nomina varia sunt fere: *στρόφιον*, *διάδημα*, *ἄμπυξ*, *ἀνάδεσμος*, *ἀναδέσμη*, et de qua quaerimus, *μίτρα*. Ac diadema quin sit fasciae species dubitationis nihil relinquitur. Nec in strophio haesitandi locus est, quod de fascia ad papillarum tumorem coërcendum adhiberi solitum, translatum deinceps est ad capitis redimicula tum vulgaria, tum etiam ad sacerdotum infulas. Prius exposuit Winckelm. Mon. Ined. I. p. 48. Brunn., usurpavit Pollux V, 95. Posterius testatur idem VIII, 94.: *Νομοφύλακες δε μὲν ἐστεφανῶνται στροφίῳ λευκῷ, τὴν δὲ πομπὴν πέμπουσι τῇ θεῷ.* Festus s. v. *stroppus* p. 268. Scal.: *Stroppus est, ut Alcius philologus existimat, quod graece στρόφιον vocatur, et quod sacerdotes pro insigni habent in capite. Quidam coronam esse dicunt, aut quod pro corona insigne in caput imponatur, quale sit strophium.* Iam ex his iudicium fieri potest de eo, quod vocabatur *ἄμπυξ*. Nam Etym. M. p. 86, 20.: *Ἄμπυξ, ἡ γυναικεία ἀναδέσμη, ὅ ἐστι στρόφιον.* Hesychius: *Ἄμπυξ, τριχόδεσμος*, et: *Ἄμπυκες, τὰ διαδήματα.* Accedunt praeterea schol. et Eustath. ad Hom. Il. χ, 469. ε, 358. schol. ad Theocr. I, 33. Etym. Gud. 46, 36. Orionis Thebani verba in glossario apud Sturz. p. 618, 56, corrigenda sic sunt: *Ἄμπυξ,*
*δε*
*τὸ γυναικεῖον ἀνάδημα* (in libris mss. est *ἀνάλωμα*). *παρὰ τὸ ἀμφέχειν τὰς τρίχας κεφαλῆς ἄμφυξ καὶ ἄμπυξ.*

ἡ ἄνω πυκάζουσα καὶ ἀνέχουσα τὰς ἐθείρας (vulgo αἰθῆρας) ἤγουν τὰς τρίχας. Nempe est ἄμπυξ frontis redimiculum admodum pretiosum gemmisque illuminatum. Schol. ad Eur. Hecub. 464.: Ἄμπυξ κυρίως κόσμος τις χρυσῷ καὶ λίθοις πεποικιλμένος, ὃν περὶ τὰς κεφαλὰς αἱ γυναῖκες φοροῦσι. Similiter Etym. Gud. p. 570, 57. Haec rursus confirmant id, quod item ad fasciarum genus ἀναδέσμην et ἀνάδεσμον pertinere iudicavimus. Vides enim, Etymologicum Magnum ad explicandum ἄμπυξ vocabulum uti verbis, ἡ γυναικεία ἀναδέσμη. Hesychius: Ἀναδέσμη, μίτρα, διάδημα, οἱ δὲ εἶδος κόσμου ἐπὶ κεφαλῆς. Euripides χρυσέας ἀναδέσμας in Med. 948. exposuit ipse deinceps v. 964. locutione χρυσεότευκτον στέφανον περιθέσθαι. Ex his futilis intelligetur Zoëgae sententia, qua Andromachae ἀναδέσμην ap. Hom. Il. χ, 489. de reticulo quodam, quo involuti fuerint crines de cervicibus dependentes, interpretatus est T. II. p. 311. not. 8. Neque enim ullo stabilita argumento est. Fasciam vel origo ostendit, quae est ab ἀναδέειν, devincire vel religare velut διαδήματι ap. Pindar. Isthm. III, 14. Quapropter Damasc. in Phot. Bibl. p. 561, 35. posuit, ἀναδεδεμένη τὴν κεφαλὴν ἀναδέσμῃ, quod exemplum enotavit et illustravit Hemsterhus. ad Aristoph. Plut. 589. Propter illam autem originis communionem non multum diversa esse potuit ἀναδήματος species, quod in mundo muliebri enumerat Aristoph. Fragm. ex alteris Thesmoph. ap. Polluc. VII, 95. Euripides Hippol. 83. pro corona ex floribus usurpavit, πλεκτῷ στεφάνῳ ἐξ ἀκηράτου λειμῶνος, ut est ibid. v. 73., et pro victoriae praemio in Electr. 882. Sed ἀνάδετος, quod substantivum esse pari significatione finxit schol. ad Aristoph. Plut. l. c., est adiectivum ex Euripidis Hecub. v. 923. depromptum.

Iam vero cum in ἀναδέσμῃ explicanda Hesychius cum Apollonio apud Albertum utantur mitrae vocabulo, item Etymol. M. p. 589, 8. scribat haec: Μίτρα λέγεται ὁ

γυναικεῖος τῆς κεφαλῆς ἀνάδεσμος, non relinquitur dubitatio, quin in hoc etiam usu valeat pervagata illa fasciae significatio. Itaque Aristophanes si in Thesm. 263. praeter κεκρύφαλον attulit μίτραν, illo intellexit calanticam quandam reticuli instar contextam, hac ligamentum capitis. Nec multum discrepat Euripides Hecub. 923. verbis: ἐγὼ δὲ πλόκαμον ἀναδέτοις | μίτραις ἐῤῥυθμιζόμην muliebre dicens cingulum capitis, quo noctu religaretur coma. Scholiasta: ἐκόσμουν ἐν μίτραις καὶ ταινίαις ἀναδέτοις. Denique de fascia manifesto cogitavit poëta Romanus Lucret. IV, 1122.

*Et bene parta patrum fiunt anademata mitrae.*

Attamen quam speciem hoc fasciae genus obtulerit in comparatione singularem, non satis in aperto est positum. Coniicio autem non dissimilem hanc fuisse illi, quam Bacchi propriam paullo post explanavi.

Sed plane diversa est descriptio mitrae, quam accepimus barbaris usitatam populis et ab elegantia satis etiam barbaram. Etenim cum semel μίτρα nomen in capitalis cuiusdam ornatus significationem cessisset, dilatata parumper vi idem adhibuerunt ad designandum aliquod pilei genus, quod in barbaris nationibus, praecipue Asianis, usu venire consuevit. Atque eam vocabuli potestatem, in Graecis antiquioribus rariorem, frequentarunt ita Romani scriptores, ut plerique incognitam habuisse videantur illam fasciam. Videtur autem ea fuisse sententia Herodoti, cum l. VII, 62. Cissios vocavit μιτρηφόρους, quamquam a Persarum pileis mitras distinxit. Sed ipsos Persarum pileos cogitavit Theocritus XXII, 19. in Πέρσαισι αἰολομίτραις. Pindar. Nem. VIII, 14. memoravit Λυδίαν μίτραν καναχηδὰ πεποικιλμέναν. Refert autem proprie haec barbarorum mitra similitudinem galeri cum dependentibus utrinque taeniis, *redimicula* vocavit Virgil. Aen. IX, 616., quibus mentum religabatur. Virgilius ibid. IV, 216.

*Maeonia mentum mitra crinemque madentem*
*Subnixus.*

ubi quam exprompsit Servius annotationem, est haec: *Mitra hoc est pileo incurvo, de quo pendebat et buccarum tegmen. Sane quibus effeminatio criminabatur, etiam mitra eis ascribebatur. Multa enim lectio mitras proprie meretricum esse docet.* Mollitiae crimine quomodo notata fuerit mitra, docet ad Stat. Theb. IX, 795. Barthius. Quod autem Servius hoc tegumentum proprie meretricum scribit, id minus cadere videtur in Graecos, quam in Romanos. Nam de Romanis documento praeter alios est Juvenalis III, 66. At de Graecis etsi Pollux IV, 154. testatur in comoedia fuisse meretricis unam personam, *διάμιτρον* iccirco vocatam, quia *μίτρᾳ ποικίλῃ κατείληπται*, tamen nec est exploratum, an meritricia mitra fuerit item barbara, et vero hoc capitis ornamento non solo usas esse graecas meretrices, ostendit relicuarum personarum ibidem tradita descriptio. Eminebat autem is mos praecipue in Phrygibus. Quare non modo *phrygiam mitram* cum multi alii scripserunt, tum Virgilius IX, 616., sed etiam simplex *phrygia* nomen in eam partem est usurpatum teste Salmasio ad Hist. A. Scr. p. 404. e. *Tiaram* eodem significatu posuit Iuvenalis VI, 515., et grammatica etiam ratione paullum novata Virgilius Aen. VII, 247. *sacerque tiaras.* In artium operibus talis pilei species non raro oculis obiicitur, ad omnes pertinens barbarorum servorumque figuras, si recta et stabilita est Viscontii observatio T. III. p. 114. Apparet hunc in modum Paris admodum laute ornatus apud Winckelm. Mon. Ined. tab. 112., taeniis quidem quatuor dependentibus. Sed saepius buccarum illa redimicula omittuntur, quemadmodum in trium servorum figuris ibid. fab. 42., id quod in explicatione non neglexit Winckelmannus Tom. I. p. 34. Brunn.

Haec barbarorum mitra quoniam propter sacci similitudinem non ita magnam affert venustatem, simplex docet ratio, specie multum differre debere eam, quam deliciarum et mollitudinis caussa a Baccho usurpatam tradit Lucianus in Dial. Deor. I. XVIII. Tom. II. p. 5. et p. 51.

Bip. Nec secus res se habet. Etenim bacchicam mitram cognoscere licet tum ex tab. 9. ap. Millin. de Vas. Pict. T. I., tum ex frequenti effigie thyrsorum mitris devinctorum, quo nomine praeter ceteras excellit tab. 10. in Mus. Pioclem. T. V. Est autem diadema, quod addita utrinque habet buccarum tegmina, admodum lata sed in angustiores extremitates ac velut lemniscos quosdam desinentia. Itaque non tantum sanctitatis communione sed specie etiam proxime accessit ad sacerdotum insigne, quale Virgilius Aen. X, 538. descripsit:

*Haemonides Phoebi triviaeque sacerdos,*
*Infula cui sacra redimibat tempora vitta.*

Ad ea Servius haec notat: *Infula est fascia in modum diadematis, a qua vittae ex utraque parte dependebant, quae plerumque lata et plerumque tortilis de albo et cocco.* Quem locum paullulum amplificavit Isidor. Origin. XIX, 30. Ceterum ut hoc leviter perstringam, quae de infulis et vittis Viscontius T. III. p. 105. not. 2. et IV, 34. commentatus est, probantur non ex omni parte, et minime omnium illa de victimarum infulis, quae circumspectius exposita sunt ab Vossio ad Virgil. Georg. III, 486. De universa infularum ratione collectanea exstant eruditissima Barthii ad Stat. Theb. II, 96—100. T. II. p. 319—322. Quod autem a Servio de colore positum est, de eo vide an concinnius quicquam comparari possit cum Athenaei μεσολεύκοις μίτραις. Nec enim istam tantam mitrarum cum sacerdotii insignibus similitudinem credo temere evenisse, sed de communi potius omnium deorum religione deductam ad singula Bacchi sacra esse. Quid, quod universe μίτρα vocabulum de omni videtur dictum genere vittarum sacrarum, quarum vulgaria nomina στέμματα, στέφη, στεφανώματα sunt? Nam eo referendum est, quod lanea victorum insignia sic designarunt Euripides et Pindarus. Et ab eadem re caussam sumpsisse existimandus est Eustathius, cur ad Il. δ, 187. traderet haec: φασὶ δέ τινες καὶ αὐτὸ τοῦτο εἶναι τὰς μίτρας, φάμενοι

ὅτι μίτραι κυρίως οἱ ἀπὸ φασκιῶν καὶ ὠραρίων στέφανοι. Nam aperte cogitavit de vittis laneis, cum scripsit οἱ ἀπὸ φασκιῶν καὶ ὠραρίων στέφανοι, verbis ex latinitate petitis, quorum postremum doctissime illustrarunt Casaub. ad Hist. Aug. Script. p. 236. 8. et Salmas. ad eosd. p. 409.

Jam vero ut ad Bacchas referam orationem, si mitra proprie nihil nisi species erat universi infularum generis, vereor ut ab chori sanctitate seiuncta esse potuerit. Nam pondus additur eo, quod apud veteres cum vittis sacris solerent procedere, quiqui sustinerent personam deo alicui consecratam, id quod cum coronamentorum solenni usu est coniunctum. Quapropter ad religiosas Baccharum personas στέμματα accommodavit paullo generalius loquens Agathias. Tum etiam advertendum est, quod Lydis Phrygiisque mulieribus chori partes sunt impositae. Phrygum autem filias scripsit Diogenes tragicus Semelae illo fragmento esse in Cybelae sacris conficiendis μιτρηφόρους. Jam etsi bacchicae mitrae specie ab barbaris differunt, cognatae tamen generis communione quadam sunt. Praeterea quam supra dedimus barbarae mitrae descriptionem, ea cadere potissimum videtur in virilem partem, in muliebri vide ne sit aliquanto maior cum bacchica similitudo. Nam barbaries, ut opinor, consistere maxime putata est in illis taeniarum utrinque appendiculis: quare Virgilius has potissimum opprobrio Phrygibus vertit aiens:

*Et tunicae manicas et habent redimicula mitrae.*

Quod si ita fuit, in vittis etiam diffiteri barbari moris quandam imitationem non licet; sin minus, in scena Euripidea certe credo barbarorum mitram cessisse bacchicae infulae, tum ob religionis rationes tum elegantioris cultus caussa. Hederaceae vero coronae noli animum inducere impedimento hunc alterum ornatum fuisse. Nam utrumque quomodo in uno capite finitimum et sociatum esse possit, cognoscitur ex simulacro saltatricis aut Veneris scenicae apud Viscont. T. III. tab. 30.

At de Thebanarum Maenadum grege quid in hac caussa statuendum sit, non mediocriter haesito. Nam de Penthei illa mitra difficiles habet explicatus quam in partem debeat inclinari, quandoquidem potest tam de vulgari graecarum feminarum mundo sentiri, quam de religioso Baccharum vestitu. Quorum posterius ut reiiciam, propter Nonnum certe ne tantillum quidem commoveor, quippe qui ad suum Pentheum non proprium Bacchae ornatum, *σκευὴν Μαινάδος* secundum Euripidem, sed simplex feminae indumentum, *θήλεα πέπλα* l. XLVI, 83., accommodavit. Verum habent aliquod momentum *βύσσινοι πέπλοι* ap. Euripid. v. 819., qui item non sunt bacchici sed de communi mulierum mundo petiti. Nec commoda mitra remissiori comae cultui Thebanarum fuisse videtur. Nec denique ubi de coronamentis mentio fit, ulla unquam est vittae sacrae significatio. Quocirca vide ne, quae in bacchanalibus furerent, ab se alienum duxerint augustius infulae decus, coronas adhibuerint solas. Quod si ita est, Pentheus sane ad consectandam feminae similitudinem videbitur muliebrem mitram imponere, nec tamen ideo bacchicam Lydarum personis abrogandam iudicabis, si modo paullulum attenderis, quam sit eiusmodi ornamentum ad chori quasi sacerdotium idoneum.

Nunc de nebride et thyrso considerandum est. In iis instrumentis si ab necessitate proficisceris, qua cum religione coniunctissima inculcantur per fabulam saepissime, in scenico chori apparatu desiderari non debebant. Nec nebris ullam habet dubitationem quin ascita fuerit. Verum de thyrso est quod dubites summopere. Nam si tympanum choro planissime ascribitur v. 59. et 125., mirabile profecto sit, quomodo illud temperari potuerit altera manu non vacua sed onerata thyrso. Aliud enim est, cum artis opera ad eandem utrumque ostendunt personam applicatum, sicut est in una Maenadis effigie itemque in una Satyri ap. Viscont. T. IV. tab. 29. Namque rei ita institutae facilior est in oculorum sensum insinuatio ibi,

ubi immutabilis formarum status proponitur, nec cogitatur ullus corporis gestus vel actio. Possis tu quidem talem fortasse animo fingere motuum descriptionem saltationi scenicae constitutam, ut ad tympani pulsum nullum impedimentum thyrsi agitatio attulerit: nec enim diffiteri licet eiusmodi artificia usu et exercitatione posse perfici: verum id genus modorum saltandi complicatius videtur et argutius, quam scenae tragicae simplicitas ferat. Ad hoc effici tum debebat tanta numerorum tympani tarditas et raritas, quanta ab primi cantici vi et impetu mirifice abhorruit. Nec Bacchus cohortationi illi: *αἴρεσθε τύμπανα*, adiecit alteram quandam, quam exspectare par erat, fere hunc in modum: *ἀνά τε θύρσον τινάσσετε.* His de caussis a choro thyrsi agitationem plane censeo intermissam esse.

Fuit etiam vestis Baccharum propria. Nomen traditur rectius *βασσάρα*, peius *βασάρα*, et Thraciis Bacchabus nominatim tribuitur ab Hesychio in his: *Βασάραι, χιτῶνες, οὓς* (vulgo *ἃς*) *ἐφόρουν αἱ Θρᾴκιαι Βάκχαι.* Secundum quem corrigenda verba Etymologici M. p. 191, 5. sic sunt: *Λέγονται δὲ Βασσάραι αἱ Θρᾴκιαι Βάκχαι· καὶ χιτῶνες, οὓς ἐφόρουν· ἀπὸ τοῦ Βάκχου Διονύσου ἢ ἀπὸ τῶν βησσῶν.* Vitiose scribitur *Βάκχαι· χιτῶνας οὖν ἐφορ. κ. τ. λ.* Sed Lydiam esse tunicam perhibet Pollux VII, 59. *Λυδῶν δὲ βασάρα χιτών τις Διονυσιακὸς ποδήρης.* Abs quo non multum discedunt, qui amplius de eo vestimento exposuerunt, scholiastae Horatii ad Odas I, 18, 11. Alter enim *Bassareus dictus est*, inquit, *Liber pater a genere vestis Baccharum, unde et Bacchae Bassarides dictae. Persius* (I. 101.): *Bassaris et lyncem Maenas flexura corymbis. Bassaris enim genus vestis est ad pedes usque demissae, dictae a Bassara loco Lydiae, ubi fit. Tali enim et numina uti volunt, ut et: Pedes vestis deflexit ad imos, et vera incessu patuit dea.* Posterius exemplum est Virgilii ex Aen. I, 404. Alter Scholiasta: *Dicitur Bassareus a specie qua-*

*dam talaris vestis, qua Bacchae in sacris illius utebantur. Ex qua ipsae Bassarides appellabantur. Persius: Et raptum vitulo caput ablatura superbo Bassaris et lyncem* etc. (v. supra). *Voluntque vestem ipsam a parte Lydiae Bassara nominata sic dici. Alii dicunt Thraces in his sacris pelles lyncum adhibere, quas pelles ibi bassaras vocent.* Ex eo grammaticorum consensu tantum videtur apparere, ab Asianis aut Thracibus principio profectam esse et vestem et vestis vocabulum. Hoc etiam Herodotus l. IV. c. 192., sed diversa paullulum forma *βασσάριον*, usurpavit vulpium intelligens quoddam genus consentiente omnium grammaticorum testimonio. Nam Hesychii glossa est haec: dedi autem correctiora verba, quam in exemplaribus vulgo leguntur: *Βασσαρίς, ἀλώπηξ· καὶ βασσάρα παρὰ Κυρηναίοις.* Et alia eiusdem: *Βασσάρια τὰ ἀλωπέκια οἱ Λίβυες λέγουσιν.* Nempe in Libyum re versatur ibi Herodotus. Formam *βάσσαρος* cum Etymologico M. p. 190. in. Suidas afferunt, adiuncto ipso Herodoti nomine. *Βασσάρα* illo significatu Lycophron videtur posuisse exemplo, quod memoravit Etymologicum, versu 1393. *τῆς' παντομόρφου βασσάρας λαμπυρίδος.* Sed de lyncibus interpretatum esse reminiscere scholiastam Horatii. Atque ab horum animalium ratione explicatum vocabuli translatio ad Bacchas earumque vestimenta nanciscitur. Nam caussa consistit in eo, quod de pellium usu in bacchicis disputatum supra est. Quo usu postea intermisso cum speciem pellium maculosam imitatione vestis quodammodo exprimere studerent, permansit tamen consuetudo nominis pridem inveterati. Atque ab re adeo ad hominem traductum est vocabulum. Itaque de Bacchabus valent nomina *Βασσάραι, Βασσαρίδες*, etiam *Βασσαρίδαι* testante Etymologico Gud. 105, 54. *Βασσαρίδας* frequentavit maxime Nonnus, *Βασσάρας* dixit Callixenus apud Athen. V, 198. e. Bacchum ea re *Bassareum* vocatum norunt omnes. Contra hanc verissimam de origine et vestis et

nominis coniecturam nihil grammatici auctoritas efficit, qui in Etymolog. M. p. 191, 2. parum perspecte scripsit haec: *Βασσαρίδες αἱ Βάκχαι παρὰ τὸ διάγειν ἐν βήσσαις, ὅ ἐστιν ὀρεινοῖς τόποις.* Nullum plane explicatum habent statim insequentia: *ἢ παρὰ τὸ βασσάρη τὸ λεγόμενον ὑπόδημα, ὅπερ λέγεται παρὰ τὸ βάσει ἀρηρέναι.* Quamquam enim haec pariter ac quae totidem verbis leguntur in Etymol. Gud. p. 105, 54. fluxerunt ex fonte non ita malo, Etymologico Orionis p. 31, 7., tamen calceamentum *βασσάρη* vel *βασσαρίς* vocatum apud neminemdum repertum est graecorum scriptorum. Suspicor autem totam glossam niti pravo fundamento dicti alicuius, in quo antiquitus turpissimum exstabat mendum *βασσαρίδες* pro *βαυκίδες.* Nam *βαυκίδες ὑποδήματα Ἰωνικὰ πολυτελῆ*, quemadmodum tradit Etym. M. p. 192, 17. et similiter Pollux VII, 94.

Etsi autem in pellium amictu *βασσάρα* nititur, tamen Lobeckius ad Sophocl. Aiac. p. 360. ambigue, et nescio an ab suae mentis sensu false, ait *pelles lyncum, vulpium, damalarum interstinctas communi nomine βασσάρας esse dictas.* Haec enim ut nunc scripta sunt, sic effici non possunt ex grammaticorum testimoniis, qui omisso principali pellis significatu de vestimento tantum loquuntur in Baccharum parte. Et tunicam vocant talarem ad pedes usque demissam, *χιτῶνα ποδήρη.* Nam talarem speciem putato de Baccho esse ascitam, nisi vis contrario modo. Comparet autem amplitudo vestium longe lateque velut fluitantium in plurimis operum antiquorum Bacchabus, quemadmodum est in duabus figuris ap. Zoëg. tab. 5. Versicolor species et significata c. III. est, et apta intelligitur ex colorum varietate usquequaque in bacchicis captata studiosissime. Nam *τὸ βάπτεσθαι ἀνθινὰ Διονυσιακὸν* esse docet Strab. XV. p. 1038. c. Mm. Maenadas scribit Diodorus IV. p. 148. d. *κατὰ τὰς ἐν εἰρήνῃ πανηγύρεις καὶ ἑορτὰς ἐσθῆσιν ἀνθειναῖς καὶ κατὰ τὴν μαλακότητα τρυφεραῖς χρῆσθαι.* Hoc

nimirum magnificentius et lautius deliciarum genus oportet existimare coniunctum esse cum origine et fonte religionis bacchicae, Asia illa multiplici luxuriae instrumento antiquitus iam refertissima. Quo spectavit Dionys. Periegeta, cum vs. 845. Lydiis virginibus Baccho sacra facientibus ἱμερτοὺς χιτῶνας tribuit. De cetero recordanda sunt atque ad similem rationem expendenda, quae de Bacchi vestitu exstant in superioribus.

Verum cum Casaubono Rambachius p. 71. crocotam statuunt Maenadum vestimentum, nisi videlicet Pollucis testimonio, quo Baccho assignatur idem genus, et grammaticorum forsan quibusdam glossis Διονυσιακὸν φόρημα profitentibus. Quasi vero si quid in Bacchum cadere perhibetur, idem continuo in asseclas accommodandum sit. Neque enim quicquam evincitur loquendi forma Διονυσιακὸν φόρημα, quippe universius nonnunquam, at hic de solo deo usurpata. Nec debet, quem consignavit Callixenus, Νύσης θάψινος χιτὼν χρυσοποίκιλος, quantumvis licet illa species ad croceum colorem accesserit, de pompa Ptolemaei huc transferri. Nam non est Nysa, illa Dionysi nutrix, de vulgari grege Maenadum, ab eoque ipso in pompa diligenter segregata.

Sed multo difficilius est de Baccharum ornatu quodam iudicium, quem memoriae mandavit scriptor si minus aetate antiquissimus, tradens tamen nonnulla vetustate docta, Dionysius Periegeta. Is enim de Camaritis v. 700. prodidit haec:

> Καὶ Καμαριτάων φῦλον μέγα, τοί ποτε Βάκχον
> Ἰνδῶν ἐκ πολέμοιο δεδεγμένοι ἐξείνισσαν,
> καὶ μετὰ Ληνάων ἱερὸν χορὸν ἐστήσαντο,
> ζώματα καὶ νεβρῖδας ἐπὶ στήθεσσι βαλόντες,
> εὐοῖ Βάκχε λέγοντες.

De horum ergo *zomatum* natura habituque disceptatur quantum maxime. Concinnavit quidem instructam doctrina annotationem vir litteratus et in permultis studiose volutatus scriptis Godofr. Bernhardius T. II. p. 714. sq., verum quo-

niam, quae latent in reconditiori exponendi genere, non videntur intelligentiam rei aperire plenam et perspicuam, operae pretium duxi proponere, quae ego inveni examinando. Sunt autem haec.

Eustathius nihil nisi Dionysii sententiam locutionibus dedit paullum modificatam et variatam. Ait enim: *Οἱ Καμαρῖται — ταῖς Λήναις, ὅ ἐστι ταῖς Βάκχαις, συνεχόρευσαν, τὰ ἐκείνων φορήματα, ζώματα καὶ νεβρίδας, ἐπὶ στήθεσι βαλόντες.* Eum transscripsit Eudocia Viol. p. 122. Verum est aliud eiusdem Dionysii exemplum, cuius comparatio de cinguli intellectu nos videtur commonefacere. Namque de mulieribus item bacchantibus v. 839. sqq. prodita sunt haec:

*Οὐ μὰν οὐδὲ γυναῖκας ὀνόσσεαι, αἳ περὶ κείνου*
*θεῖον ἕδος χρυσοῖο κατ᾽ ἰξύος ἅμμα βαλοῦσαι*
*ὀρχεῦνται, θηητὸν ἑλισσόμεναι περὶ κύκλον,*
*εὖτε Διωνύσοιο χοροστασίας τελέοιεν.*

In his quorsum valeat *ἅμμα*, controversum esse nequit propter additamentum *κατ᾽ ἰξύος*. Bernhardius autem qua ratione meminit de illo Luciani *ἅμμα κατ᾽ ἰξύος δήσας*, Asin. c. 9. T. II. p. 577. Rtz., ea non satis expedita est et prompta intelligentia artificii in luctando usitati, quod hoc proprio signabatur nomine *ἅμμα*, Latinis *nodus* vel *nexus* docente Salmasio ad Hist. Aug. Script. p. 121. f. Quemadmodum autem luctatorum *ἅμμα κατ᾽ ἰξύος* cernitur in bracchiis circum lumbos ligatis, ita Baccharum in pari cinguli complexu. Subligaculi vero apud Bernhardium commemoratio illa non sentio equidem quid tandem habeat appositum ad id quod erat explicandum. Quodsi igitur *ἅμμα* illic cingulus est, sicut est, satis forsan superiori exemplo commodus iudicabitur idem significatus locutionis *ζώματος ἐπὶ στήθεσσι*. Atque illud quidem certe negari non potest, de cingulo *ζῶμα* intellexisse Longum exemplo, quod excitavit Bernhardius accommodatissimum propterea, quoniam manifesto sunt bacchicae quae afferuntur Nymphae. Est enim ita scriptum l. I. p. 7.

ap. Schaeferum: *Τὰ ἀγάλματα τῶν Νυμφῶν λίθοις ἐπεποίητο· πόδες ἀνυπόδητοι, χεῖρες ἐς ὤμους γυμναὶ, κόμαι μέχρι τῶν αὐχένων λελυμένη, ζῶμα περὶ τὴν ἰξὺν, μειδίαμα περὶ τὴν ὄφρυν, πᾶν τὸ σχῆμα χορεία ἦν ὀρχουμένων.* Etenim cum cinguli intellectum in his patefaciat additamentum *περὶ τὴν ἰξὺν*, tum non discessit Winckelmannus de Art. Ant. Hist. VI, 1, 23., nec eius editores novissimi. Tradunt etiam grammatici nonnunquam hanc vocabuli vim, velut apud Kuhnium ad Poll. II, 166. glossator *balteus* latine vertit. Suidas: *Ζῶμα, ἡ ζώνη, Σοφοκλῆς· Καὶ ζῶμα τοὐμὸν οὐ χλιδαῖς ἠσκημένον, τὴν ζώνην λέγων, οὐ τὸ ἔνδυμα.* Spectat videlicet Electrae vs. 452., cuius difficilis explicatus non praeteriit Bernhardium. Considerare autem oportet ab Electra ad paternum tumulum sororem Chrysothemin mitti cum donis votivis, quae sunt cincinnus et *ζῶμα.* Quae res cum in manus ibi tradantur continuo, ut monstrant verba:

> *δὸς αὐτῷ τήνδ' ἀλιπαρῆ τρίχα*
> *καὶ ζῶμα τοὐμόν,*

profecto *ζῶμα* non potest esse indumentum sed debet cingulus: id quod probe perspexit annotans haec scholiasta: *ζῶμα δὲ νῦν τὴν ζώνην δηλοῖ, οὐ τὸ ἔνδυμα, ἵνα τούτῳ στέφῃ τὸν τάφον ἄνευ μίτρας. δίδωσι γὰρ τὸ ζῶμα ἀντὶ ταινίας.* Nec discrepat sententia Spanhemii ad Callimach. p. 135. exempl. Graev.

Etiam *περίζωμα* grammatici ponunt ad explicandum *ζῶμα,* sicut Etymol. Magn. p. 414, 26. Atque id rursus sunt qui balteum interpretentur. Nam Pollux VII, 65.: *τὸ δὲ τῶν μαστῶν γυναικείων ζῶσμα ταινίαν ὠνόμαζον καὶ ταινίδιον, τὸ δὲ περὶ τῇ κοιλίᾳ ζῶσμα περίζωμα ἢ περιζώστραν.* At Etymologicum Magn. pariter atque Apion in glossis Homer. ap. Sturz. p. 606, de subligaculo, quod Thucydides I, 6. vocavit *διάζωμα*, potius acceperunt quam de balteo. Itaque *περίζωμα* in litteras retulit Suidas esse *τὸ ὑπὸ τὰ αἰδοῖα σκέπασμα.* Quippe

omnes spectant Homer. Iliad. ψ, 685., ubi quamquam non de cursu scriptum est sed de luctatione, alia tamen non facile patebit explicatio, quam quae est de subligaculo. Quare assumpsit idem Heynius in Animadvv. Hom. Tom. VIII. p. 491. sq. Nec dubium videtur quin ex subligaculi similitudine nomen invenerit vestitus Satyrorum quidem *περίζωμα* usurpatum ab Dionys. Halicarn. Arch. Rom. l. VII. p. 1491. T. III. Reisk., illustratum a Casaubono de Sat. Poës. p. 107. et Boettigero de Archaeol. Pict. p. 200.

Ex his ergo duplicem iam intelligimus zomatis significatum, usuque stabilitum altero balteum, subligaculum altero. Quodsi nunc in Dionysio de utro sentiendum sit quaeratur, nego utrumque. Nam utrique repugnare video quod adiectum est: *ἐπὶ στήθεσσι βαλόντες.* Atque subligaculum cum reapse in Bacchabus non ita lautum vel elegans est, tum adversaria etiam videtur (nam id spernendum non existimo argumentum) Longi Nympharum species, in qua nihil nisi pedes et bracchia apparebant nudata. Cuius fere similem coniicias vestitum designari illo zomate. Ac circumspiciendo licet rationem aliunde petitam indagare. Etenim *indumentum* *ζῶμα* reminiscere monstrari ab Suida et scholiasta Sophoclis. Apud Pollucem autem l. VII, 51. haec reperiuntur: *τὸ ζῶμά ἐστιν μὲν ἐπιτήδειον ἐνδῦναι, πέζας δὲ ἔχει, ὡς Αἰσχύλος δηλοῖ, πεζοφόρα τὰ ζώματα ἀνακαλῶν. Ὅτι δὲ ἐνδῦναι ἦν ἐπιτήδειον, τεκμήραιτ᾽ ἄν τις καὶ ἐκ τῶν ἐν τῇ Μενάνδρου Ῥαπιζομένῃ·*

*Οὐχ*
*ὁρᾶτε τὴν τροφὸν ζῶμ᾽ ἐνδεδυμένην;*

*ὡς ἐπιπολὺ γὰρ γραῶν τὸ φόρημα ἦν.* Fragmentum Aeschyli Hesychius sic commemorat: *Πεζοφόροις ζώμασιν. Αἰσχύλος Τοξότισιν· ὥσπερ πέζαν ἐχόντων τῶν χιτώνων. τινὲς δὲ ποδήρεσι. ζῶμα δὲ τὸ ἔνδυμα.* Sed ex his de ipsa indumenti ratione nondum cognoscas, qualis fuerit. Nec enim satis fit eo, quod tunicae fuisse genus compertum est ex Etymol. M. p. 413, 50. Quod

ne multum superatur quidem hac Photii glossa: *Ζῶμα χιτῶνός τι ζωστοῦ γένος· οὕτως Μένανδρος.* Sed hac in caussa Bernhardius nonnulla afferre visus est, quae quomodo idonea sint, mihi non satis patuisse aperte confiteor. Huc refero, ut unum tangam, illa de *ἀγρήνῳ* scripta, quae quam sint aliena ostendent nostra super eadem re alias exposita. Nec secus ille Boettigeri auctoritate abusus est, quum haec posuit: *Vocis quidem intellectum, qui vestes quasdam interiores tunicae modo comprehendit, diligenter monstravit Boett. Griech. Vasengem. I*, 2. *p.* 84; *et exstant istius sensus haud pauca vestigia, velut inest aliquid momenti Aeschyl. fr.* 220. *πεζοφόροις ζώμασι.* Quid enim? Boettigerum vero monstrasse vestium quarundam interiorum intellectum, quando praeter illud *ζῶμα*, in quo cernitur armaturae quaedam pars, caeteroquin nullam omnino tractavit vocabuli significationem? Nempe cum duabus partibus constaret integra heroum armatura, Boettigerus alteram ostendit pectus tegentem proprio vocari nomine *θώραξ*, alteram esse *ζῶμα*, quasi quoddam subligaculum alvis lumbisque circumdatum, ad decus pariter atque ad munimentum virgis aeneis obductum. Qua de re satis perspicue ita Etymolog. Magn. p. 433. initio: *Ἰστέον ὅτι οἱ παλαιοὶ θώρακας ἐφόρουν, ἕνα μὲν ἀπὸ τοῦ ὤμου μέχρι τοῦ ὀμφαλοῦ, ὃς καὶ κυρίως θώραξ, ἄλλον δὲ ἀπὸ ὀμφαλοῦ ἄχρι τῶν γονάτων, ὃς ζῶμα ἐκαλεῖτο. Οὕτως ᾠκονόμητο εἰς τὸ ῥαδίως κύπτειν τὴν γῆν.* Sed princeps auctor est Telephus apud schol. Venet. ad Hom. Il. IV, 133. p. 113. quem et ipsum nominavit Boettigerus.

Illi ergo Boettigero cum afficta sint, quae non attigit, est tamen quatenus ad vestimentum *ζῶμα* res ab eo exposita faciat. Quodsi enim consentaneum est, non facile videri fortuito factam esse rebus duabus nominis communionem, sed similitudinum quarundam collatione niti, satis ratione concluditur, *ζῶμα* esse indumentum illi armatorum subligaculo simillimum eo, quod non infra genua erat de-

demissum: quae species ad luctatorum etiam subligaculum accessit. Quamquam cum contemplor animo et memoria repeto hucusque exprompta, non credo alterius designationem esse accurate de altero traductam, sed significationum seriem varietatemque natam potius ex hoc principio esse. Nempe cardo rei vertitur in eo, ex quo ductum ζῶμα est, ζώννυμι vero; quam ad originem cum expenditur illud, simpliciter significat *succinctionem* (dabis enim veniam novato huiusmodi vocabulo) id est rationem. qua succincta comparet tunica. Comparuit autem apud veteres tunica tum, cum fuit succincta, plerumque non infra genua traiecta, ut oculis percipere licet in numo apud Spanhem. ad Callim. in Dian. V. 11. p. 139. Hinc factum deinceps est, ut ipsae tunicae, partim quae istum in modum essent succinctae, partim quae ad succinctarum speciem non infra genua cernerentur demissae, ζώματα vocarentur. Atque id est quod dixit Photius, χιτῶνός τι ζωστοῦ γένος, Etymologicum Magnum, ζῶμα δὲ τὸν χιτῶνα ἀπὸ τοῦ ζώννυσθαι. Itaque his per se eorum revellitur opinio, qui Aeschyli πεζοφόρα ζώματα animum induxerant esse ποδήρη. Imo sunt admodum brevia, πέζας ἔχοντα id est fimbrias limbis vel virgis aureis purpureisve praetextas, ut secundum Pollucem VII, 62. explicavit Spanhem. ad Callim. p. 137. Deinde ex talis tunicae similitudine quomodo apta sit nominis consuetudo in subligaculis tam armatorum quam luctatorum, demonstrare iam habeo non amplius necesse. Nec procul abscondita nunc est ratio, qua ζῶμα colligatur cessisse in baltei significatum. Nam quoniam ad succingendam tunicam opus erat cingulo, qui circumdaretur alvo, περὶ τῇ κοιλίᾳ, ut est apud Pollucem, applicareturque circa lumbos περὶ τὴν ἰξύν, ut apud Longum, non mirum est, si quando ζῶμα de ipso cingulo usurpatum est. Nec adeo temerarium existimo contendere, utramque cogitationem, tum de veste succincta illam, tum hanc de cingulo, interdum plane esse animo confusas et in unum permixtas.

Id certe nihil impedit quominus factum affirmemus in Dionysio, nec quicquam quominus in Longo.

Ex his omnibus si satis videtur elucere, et Dionysii Bacchas et Nymphas Longi cum vestitu apparuisse breviore nec infra genua demisso, comparationem habent non incommodam saltatricum figurae apud Zoëg. tab. 20. et 21., tunicarum specie eo etiam simillima, quod omissae sunt manuleae: *χεῖρες ἐς ὤμους γυμναί*, ut est apud Longum. Sed idem vestimenti genus cur abhorruerit a tragoediae Bacchabus, quoniam caussa unicuique constare potest sua sponte prompta, non immorabor in re perspicua longius. In bassara autem ambigo, an debeat illud huc trahi, quod cernitur in bracchiorum nuditate. Quod ubi ad illorum scriptorum auctoritatem aliquam afferri putaveris accessionem operum artis exemplo, sunt quidem manuleae in figuris plerisque omnibus omissae: at in vestitu maximopere positum est id, quod effictas Maenadas ab Euripidiarum ingenio diximus longe discrepare. Quocirca parum efficiunt tabulae apud Viscont. T. IV. 20. 22. 23. 25, a. 26. 29., apud Zoëgam 83. 84. aliae multae. Magis forsan videatur consentaneum, ex nudo pedum habitu, de quo statim monebimus, coniecturam capere de pari bracchiorum ratione. Sed nihil definio. De balteo tamen adhibito propter honestas chori partes pro certo habeo, licet Winckelmannus de Art. Ant. Hist. VI, 1, 23. discinctas plerumque tradat non solum mulierum saltantium statuas et imagines sed etiam Baccharum effigies. In typis eaedem solent apparere cinctae. Ceterum ad vestitum animo informandum permultum opitulabitur tabula 19. apud Zoëgam, ad comparandum plurimum apposita.

Restat unum de illo, quem significavi pedum habitu. Etenim sagaciter Musgravius pervestigavit bacchicum quiddam in pedum nuditate consistere. Nam hinc frequentari *λευκοῦ ποδός* commemorationem, hinc haberi *λευκόποδας Βάκχας* in Eurip. Cycl. v. 72. Consignavit hoc inventum ad Bacch. v. 665. Cui firmamenta addi possunt

ex pari ratione et monumentorum et bacchicarum Nympharum Longi. Illuc spectant exempla apud Zoëgam tab. 10. 83. 84. 79. alia. Quamquam negari non potest interdum etiam soleatos pedes praeberi, sed levissime ac tenuissime, ut tab. 86. apud Zoëg. Nec bacchicum solum sed omnino religiosum quiddam et sanctum situm esse in discalceati incessus more, a mulieribus potissimum ad quorundum numinum sacra accommodato, argumentis commonstravit Spanhemius ad Callim. in Cer. v. 125. Verum in Maenadum re quoniam haec pedum nuditas videtur coniuncta esse cum thiasorum cursibus, aliena forsitan censebitur a chori partibus, quamquam diligenter ascita ab Agaua eiusque comitatu. Et componitur etiam ubivis cum thiasorum commemoratione, nec ipse chorus cum hanc in mentionem indicit, oblitus est una orgiorum recordationem excitare. Nam ita canit v. 860.:

Ἆρ᾽ ἐν παννυχίοις χοροῖς
θήσω ποτὲ λευκὸν
πόδ᾽ ἀναβακχεύουσα, δέραν
εἰς αἰθέρα δροσερὸν
ῥίπτουσ᾽ ὡς νεβρὸς κ. τ. λ.

Nec tamen nimium in hoc scopulo, si est scopulus, offendendum duxerim. Nam cum de cothurni usu suscipi in choro vix potest sententia ob caussam supra declaratam, tum habitum plane discalceatum non plane insolitum esse scis propter Aeschyli Prometheum vinctum, in qua Oceanidum chorus processerat pedibus nudatus, ἀπέδιλος ut est v. 137. Praeterea ut Bacchas statuam in scena discalceatas apparuisse, aliquantum me movet illud Veneris simulacrum in Mus. Pioclem. T. III. tab. 30., de quo verissimum existimo Viscontii iudicium, esse effigiem Veneris scenica saltatione exprimi solitae. Ea quantopere aliis similitudinibus Bacchae consectetur speciem, rato nunquam non memoravi loco: nunc eodem licet pedum nuditatem referre.

# Index scriptorum.

# Index rerum.

# Corrigenda et addenda.

---

Pag. 6. lin. 8. eiusdemque scribendum est pro eiusdem.
— 14. — 1. iudicat pro indicat.
— 24. — 1. perspicue pro perspicua.
— 28. — ult. afferunt pro afferrent.
— 40. — 13. testimonium pro tetimonium.
— 47. — 23. *Λυσσάδα* pro *Λυσσάδε*.
— 47. — 30. post dormientem inserendum est; (vide infra c. X. p. 110.).
— 53. — 2. *ἐμπίπλησι* pro *ἐμπίχπλησι*.
— 60. — 20. scis pro scio.
— 61. — ad fin. Ad ea, quae de *σφηνοπώγωνος* persona disputavimus, comparasse conducet Mercurii simulacrum, ex quo illam speciem licet optime cognoscere, tab. V. apud Winckelmann. de Art. Ant. Hist. Tom. I. ed. Meyer. et Sch. (Opp. Omn. T. III.) Cum quo Pollucem contendit ipse Winckelmannus l. III. c. 2. §. 14. p. 196., annotaruntque eius editores (p. 397. not. 678.) *σφηνοπώγωνα* Mercurium vocari ab Artemidor. II., 42.
— 78. — 19. Schwarzium scr. pro Scharzium.
— 79. — 13. comma omissum est inter procederent et eius.
— 81. — 11. post Porphyridis inserenda sunt verba: ap. Agath. Ep. XXXI. An. III., 44.
— 88. — 31. Ad illa de amoribus perscripta commode nunc subit recordatio monumentorum duorum, quae vir ingenio praestantissimus Goethius Venetiis vidit et his descripsit verbis, quae ipso ascripsi vernaculo sermone: „*Aus Athen mögen gleichfalls ein Paar Basreliefs stammen, in dem Tempel der heiligen Iustina, der Türkenbesiegerin, eingemauert, aber leider durch Kirchstühle einigermaassen verfinstert.* — — *Es sind Genien, welche sich mit Attributen der Götter schleppen, freilich so schön, dass es allen Begriff übersteigt.*“ Leguntur haec in libro clarissimo, qui vernaculo titulo inscriptus est: *Wahrheit und Dichtung* T. II. P. I. p. 212. exempl. Cott. a. 1816. Epigramma autem, de quo supra p. 88. monui, totum est hoc:

*Σκυλοχαρεῖς ἴδ' Ἔρωτες, ἴδ' ὡς βριαροῖσιν ἐπ' ὤμοις*
*ὅπλα φέρουσι θεῶν νήπι' ἀγαλλόμενοι,*

*τύμπανα καὶ θύρσον Βρομίου, Ζηνὸς δὲ κεραυνὸν,*
*ἀσπίδ᾽ Ἐνυαλίου καὶ κόρυν ἠΰκομον,*
*Φοίβου δ᾽ εὔτοξον φαρέτρην, Ἁλίου δὲ τρίαιναν,*
*καὶ σθεναρῶν χειρῶν Ἡρακλέους ῥόπαλον.*
*τί πλέον ἀνθρώποισιν, Ἔρως ὅτε καὶ πόλον εἷλε,*
*τεύχεα δ᾽ ἀθανάτων Κύπρις ἐληΐσατο.*

Cum quo Jacobsius contendit Philippum Thessalonicensem ep. LVII. An. II. p. 227. simile simulacrum sic describentem:

*Συλήσαντες Ὄλυμπον ἴδ᾽ ὡς ὅπλοισιν Ἔρωτες*
*κοσμοῦντ᾽ ἀθανάτων σκῦλα φρυασσόμενοι.*
*Φοίβου τόξα φέρουσι, Διὸς δὲ κεραυνὸν, Ἄρηος*
*ὅπλον καὶ κυνέην, Ἡρακλέους ῥόπαλον,*
*Εἰναλίου δὲ θεοῦ τριβελὲς δόρυ, θύρσα δὲ Βάκχου,*
*πτηνὰ πέδιλ᾽ Ἑρμοῦ, λαμπάδας Ἀρτέμιδος.*
*οὐκ ἄχθος θνητοῖς εἴκειν βελέεσσιν Ἐρώτων,*
*δαίμονες οἷς ὅπλων κόσμον ἔδωκαν ἔχειν.*

Quos Genios vocavit Goethius, sunt in his *Ἔρωτες*, Latinis quoque Amores, ut pridem animadversum est, nisi fallor, a Zoëga vel Viscontio.

Pag. 92. lin. 9. latens scr. pro latius.
— 109. — 1. ab inserendum est ante aliis.
— 114. — 22. *μύστις* scr. pro *μυστὶς*.
— 125. — 1. quicquam pro quisquam.
— 127. — 11. cit. pro crit.
— 130. — 29. temperatum pro temperatam.
— 136. — 23. post Statium inserendum est: Theb. IX., 794.
— 151. — 3. *κόμη* scr. pro *κόμαι*.
— 156. — 24. possit pro potest.